


DIVI IOANNIS CH· LIBER CONTRA GENTILES







# DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI LIBER cõtra gẽtiles, Babylæ Antiocheni epiſcopi ac martyris vitam continens, per Germanum Brixium Altiſſiodorẽſem, Canonicũ Pariſienſem latinus factus.

Contra Ioannis Oecolampadij tranſlationem.







PARISIIS
Apud Simonem Colinæum.
1528



GERMANVS BRIXIVS ALTISSIODORENSIS FRANCISCO TVRNONIO Archiepiscopo Biturigi Aquitaniæ Primati.



Ale certe studium tuũ nominis nostri & tuendi, & honestandi non apud plebeios, sed apud principes, ac summates, hoc est tui similes viros esse audio (neq; enim illud est aut mediocre, aut obscurum, aut eiusmodi quod silẽtio præteritum ad me non deferatur) vt nisi ego istam tantam, tam prolixam, tam liberalem erga me voluntatem, ijs saltem quibus possum officijs vicissim prosequar, vitam mihi prorsus acerbam putem. Et hercle sine dubio quum tu tantus inter nostros vir, hoc est clarissima, atque adeo Regiæ proxima sanguinis nobilitate illustris, ætate florens, amplissimi sacerdotij infulis honestatus, rara in primis tum modestia, tum prudentia præditus, singulari ingenio ornatus, doctrina non vulgari pollens, morum, vt si quis alius, elegantia quadam, & candore commendatus, fide, probitate, integritate, liberalitate, denique virtutibus quibusuis nemini concedens: quæ tanta, tamq; eximia ornamenta in te spectata, ipsum Galliarum Regem Franciscum adduxerunt, vt tibi hisce temporibus difficillimis, ac turbulentissimis, atq; adeo in maxima reipublicæ orbitate virorum taliũ, sanctioris, interiorisq; sui consilij molem vnà cum paucis collegis moderandam crediderit: id enim illũ de te existimare arbitramur, quod cæteri nos vno pene cõsensu iudicamus, quasi lumen aliquod extinctis cæteris integritatem, consilium, prudentiam, dignitatem tuam elucere: Tu inquam talis, tantusq; vir, quum eum, quem dixi, erga me animum geras. Idq; nullis meis officijs prouocatus, nemo certe fuerit, quin me & rusticum, & improbum, & ingratũ dicat, nisi etiam palam, hoc est scriptorum meorum monumentis, quasi obsignatis, quod

aiunt, tabulis tester, summã meam esse erga te beneuolentiã, summã charitatem, summã obseruantiam. Itaq; sic tibi persuadeas velim (posteaquã ingenij nostri labores qualescunq; gratiam aliquam apud te, quæ tua est ingens gratia, inuenisse video) me ipsum inprimis omnia quæ ad virtutis, ac dignitatis tuæ præconium, quod per se amplissimũ est, celebrandum pertinebunt summo semper studio, minerua quidem non inuita, suscepturũ: quod quanquã intelligo me cum multis alijs facturum, tamen huius rei principatũ sic appetam, vt te tuendi, ornãdiq; nominis mei primas partes iam suscepisse video. qui, quoniam & te per temet paratissimũ iam habeo ad nominis mei defensionẽ, & qui id muneris te vno in ea gratia, qua apud principẽ, in ea authoritate, qua apud nostros omnes vales, felicius suscipere, ac melius præstare possit, non inuenio, nemini profecto mirũ videri debebit, si ingenij nostri fœtus posthac in tuo nomine bona ex parte æditi apparebũt, vt omnino eosdẽ, præsertim si in eo genere studiũ meũ non asperna bere, apparere volumus. Idq; partim vt & tibi, & cæteris item qui à nostris legẽdis non abhorrebũt, probem summũ meum erga te studium, summũ cultum, summã obseruantiam: partim vt fœtus ijdem authoritate tua, tanquã Aiacis clypeo subnixi confidentius caput attollere, tutius in hominum ora, oculosq; ventitarem, gratiosius in eorundẽ manibus versari valeant. Atq; vt ne te longe abire patiar, en tibi promissi huius exordium à Chrysostomi scriptis auspicamur: neq; enim à digniore authore possumus. Meminisse quidem debes me tibi dicere ex omnibus græcis authoribus, qui sacra tractarũt, vnũ Chrysostomum multis de causis sic me ad sui amorem, ac studium rapuisse, sic ad scriptorum suorum lectionẽ allexisse, vt statutum mihi sit, non antè conquiescere, q̃ id omne percurrero, quod ab illo scriptũ comperero, hoc quidem proposito, vt ego arbitror minime reprehendendo, vt tum quæ authoris eiusdem opera nondum versa sunt, ijs vertendis stilum, ingeniumq; nostrum exerceamus, tum quæ nõ satis feliciter ver-

ſa,vt omnino multa ſunt,ea,pro viribus his,reſtituamus,atq;
in hac potiſſimum arena ingenij noſtri ſpecimina huiuſmo=
di exhibeamus,cuiuſmodi anno ſuperiore exhibuimus, dia=
logorum libris ſex vertendis,quibus ille περὶ τῆς ἱερωσύνης no=
men dedit.quorum tanta eſt elegantia,tanta venuſtas,tantus
nitor,tanta dignitas, vt ſine controuerſia inter cætera omnia
Chryſoſtomi ſcripta facile principatū obtineant.qui tamen li
bri neſcio quo malo genio,incerti, atq; innominati cuiuſdam
interpretis opera ſic ad Latinos peruenerant, vt nihil prorſus
in illis eſſet,quod Chryſoſtomici vel ingenij,vel ſtili elegantiā
repręſentare nobis poſſet.vſqueadeo magni intereſt qua quid
gratia,ac per cuius manus à græcis ad nos perueniat. Apud
quos equidem video pleroſq; authores,dum ſua ipſorum lin
gua loquūtur, quaſi in puppi ſedentes clauum tenere, quibus
ijſdem apud nos peregrina lingua loquentibus vix in ſentina
locū dederis,tam miſere illi à deplorati ingenij interpretibus
neſcio quibus habiti ſunt. Vtinā pontifex optime(q̄ optarem,
dicere olim vere vt poſſem,maxime)id vnuſquiſq; tantū do=
ceret,quod recte didiciſſet,& ſeſe in ea tantū palęſtra oſtenta=
ret,in qua induſtriam probaſſet ſuā:ſic enim ſuus ſtudijs ho=
nos,ſua dignitas,ſua omnis ratio abunde conſtaret,& minus
certe multi exiſterēt à græcis ſtudijs abhorrētes,à quib⁹ ipſis
ſtudijs abalienatos eorū animos video hoc ipſo,quòd autho=
rum multorū ſcripta,terſiſſima illa quidē,atq; elegantiſſima,
in ea,qua primū conſcripta ſunt,lingua,non pluris æſtimant,
quàm quantū per inſulſiſſimā,vt leuiſſime dicam,inaugura=
torū quorundam ingeniorū interpretationem conſpurcata,ac
deformata valere poſſunt:ijs nō abſimiles,qui aduētitias mer
ces,vel precioſiſſimas,quibus maxime indigēt,empturi, non
aliunde æſtimant, q̄ vel à viliſſimis thecis, quibus illas forte
recondi,vel ab eorū inſtitorū vilitate,per quorum manus eaſ=
dem vænire cōtigerit.Sed de his plura aliàs.Redeo ad Chry=
ſoſtomū authorem re vera talē,hoc eſt tam cultū, tam iucun
dum,tam copioſum,tam ingenioſum, tam vehementē,tam

ſibi ſemper inſtãtem, tam,vt ſummatim dicam,omnibus in eloquẽtia numeris abſolutũ,vt mihi quidẽ minime errare videar,ſi illi mediũ inter Iſocratem,& Demoſthenem locũ tribuero. ſic enim, vt opinio mea fert, alterius facilitatẽ,cultũ, gratiã,iucũditatẽ exprimit,vt ab alterius ingenio,vi,artificio, magniloquentia non ita magno interuallo relinquatur. neq; enim(audacter quod ſentio dicã)ex Latinis omnibus,qui diuina tractarũt,quenq̃ extare puto,quẽ Chryſoſtomo,ſi dicendi partes ſpectes,recte cõferre poſſis. In quo quidẽ eloquentiã ſummã fuiſſe cũ alia permulta ab ipſius ingenio profecta monumẽta aperte teſtãtur,tum in primis poſt dialogos eos,quos ante nominaui,hoc ipſum teſtatur liber vnus,quo Babylę epiſcopi,ac martyris vitã comprehendit,interim gentiliũ idololatriam magnis argumentis confutans:cuius æditionẽ in tuo nomine apparere voluimus. Dices, Iſtum vero Brixi ſudorẽ fruſtra tibi,arbitror,expreſſiſti,in quo videlicet tibi Oecolampadius vir in linguarũ ſtudijs apud Germanos clarus anteuertit.anteuertit mihi ille fateor,ſed tu pro eo quanti veritatem ipſam facis,id oneris,obſecro,Dionyſio Coronæo tuo impone(tibi enim idem onus imponere,nec audeo,nec debeo,neq; ſi auderẽ,id ipſum per publica iſta negocia ſubire te poſſe intelligo)id inquã oneris Dionyſio tuo impone,vt quod Oecolãpadius vertit, id ille cũ græco exẽplari diligenter cõferat, & ad te rem totã,vt ſe habet,bona fide referat. Futurũ eſt enim vt audias ipſum Oecolampadiũ vertendo Chryſoſtomi Babyla prorſus neq; cælũ,neq; terrã,quod aiunt,attigiſſe,quin potius tam paruo in opere non paucioribus, q̃ ducentis in locis fœdiſſime hallucinatũ fuiſſe: vt poſſit hinc vnuſquiſq; ſecum deinceps ſtatuere, tum quãtũ fidei Oecolampadio habere debeat in alijs(quæ permulta quidẽ ſunt)eiuſdem Chryſoſtomi operibus ab eo verſis, tum quãtum ſpei collocare poſſit in ijs quæ poſthac ab eodẽ verſa exire poterunt. niſi forte nobis doctrinam ille ſuã,græcã prȩſertim,auctiorẽ interea probauerit. Veruntamẽ quicquid id fuerit,Chryſoſtomi pijs manibus co

natui noſtro fauẽtibus,tuo ductu,atq; auſpicijs per nos ſic re=
ſtituetur,vt Babylam modo à nobis reſtitutũ facile ijs conſta
bit,qui non grauabũtur per otium ſcripta noſtra cũ Oecolam
padij ſcriptis cõferre.ad quẽ equidẽ laborẽ græcarũ literarum
myſtas omneis etiam,atq; etiam hortor,vt qui inter eos ru=
des adhuc ſunt,periculũ inde faciant,quantus ſibi fucus ab ijs
fiat,qui vbi menſis vnius, & alterius laborẽ ſtudijs græcis im
penderũt,vbi pauculas voces græcas,idq; de cõmẽtario, quod
aiũt,intellexere,ſtatim,ſi dijs placet,docti ſibi vidẽtur,ſtatim
omnia ſcire ſe putãt,ſtatim neminẽ amplius,qui doctus qui=
dem ſit,in conſiliũ aduocantes,neminẽ,qui ſapiat,imitantes,
ſibi ipſi exempla eſſe volũt, omnibúſq; pudoris clauſtris effra
ctis,authorũ illorũ, vel illorum interpretes agunt:id aggredi
auſi,quod vix animo quidem verſare audẽt,qui totius ætatis
annos in vtriuſq; linguę cognitione percipiẽda multo cũ labo
re cõſumpſere,quíq; ab eiuſmodi labore feliciſſime ac magna
cũ nominis ſui gloria euaſere.ſed quid facias?valuit, valebitq;
ſemper Periclis illud apud Thucydidem ἀμαθία μὲν θράσος,λο
γισμός δὲ ὄκνον φέρει.Sed neſcio quo pacto rei indignitate, quã
facile animo ſuſtinere non poſſum, imprudens in id relapſus
ſum,quod paulo ante in aliud tẽpus reiecerã.longius autẽ me
prouexit dulcedo quædã tecũ loquendi.Itaq; epiſtolæ finẽ fa=
ciam,ſi te tamẽ prius rogauero,vt qua cœpiſti,gratia literarũ
bonarum,tum græcarũ, tum latinarũ ſtudia cõmuniter apud
principẽ noſtrum,cuius rei facultatẽ habes maximã,tuearis.
quod munus quãdo cõplexus es,tene,ac perfice, vt ne minus
ſtudia eadẽ tibi,ꝗ tu ijſdẽ debeas:in quibus certe ita te educa=
tum,ita verſatũ,ita edoctũ ſcimus, vt tibi vni ex aulicis proce
ribus omnibus ſtudiorũ eorũdem cauſa apud principẽ eundẽ
poſthac agẽda,tuẽdaq; ſit.quam quidẽ,ſi bene mihi cognitus
es,à nemine alio tibi præripi ſines,neq; falles incredibilẽ quã=
dam noſtrã omnium de te protegendis,ornãdiſq; ſemper ſtu
dijs ijſdem,opinionẽ.glorioſum me hercule, & præcipua lau
de dignũ,principis fauore in hoc vti,vt ſtudioſorũ vniuerſitas

adiuuetur, quãtumq; gratia, atq; authoritate apud eũdem valeas, bonorum cõmodis experiri. quã ego in sententiã scriberẽ plura, nisi te tua spõte satis incitatũ esse viderem, & hoc quicquid attigi, nõ feci inflammãdi tui causa, sed testificãdi potius amoris summi erga te mei: qui cupiã ad eius te gloriæ fastigiũ omni studio eniti, omnibus neruis contẽdere, ad quod sane ex hominib⁹ nostris ad reip. gubernacula antehac accitis paucissimi aspirarũt, dum illorũ animis parua admodum, seu nulla potius elegãtium studiorũ, ingeniorúmve cura obreperet. In quã ego curã, ac cogitationẽ sic te incũbere velim, vt tibi plane persuasum sit, nõ posse te ex quoquã alio operæprecio melius, q̃ ex eo quod tu iuuandis bonarũ literarũ studijs feceris, nomen istud ab iniuria obliuionis assertũ immortalitati commendare. Cuius quidẽ immortalitatis, qua dixi potissimũ ratione, parandæ, tametsi, quod modo sum testatus, haudquaq̃ negligentẽ te esse scio, tamen nihilominus id ego hic apud te rursus & facio, & sæpius posthac facere institui: quod gymnicorũ certaminũ spectatores facere consueuere. Illi enim cursores eos clamore, hortatu, fauore, etiam atq; etiã prosequuntur, non qui postremi in stadio currũt, magno ab æmulis interuallo relicti, sed qui metæ iam proximi de reportãdo victoriæ præmio, pro se quisq;, puluerulenti nauiter concertant. Postremũ illud erit, vt tibi separatim cõmendem nõ tantum studia, sed & fortunas quoq; Dionysij tui, cuius suprà mentionẽ feci, hominis linguarũ trium cognitione ornati, eiusdemq; fide erga te, studio, amore (nihil possum præstãtius dicere) tuorũ nemini cõcedentis: quæ partes te ipsum ad illũ, quod facis, & diligẽdum, & ornãdum maximopere animare debẽt. Illustrabit, mihi crede, istius dignitatis amplitudinẽ beneficiorũ abs te in illũ collatorũ magnitudo. quem nos & quia tuus, & quia te dignus, hoc est & probus, & doctus, & quia nos diligit, semperq; dilexit, in primis amamus, carumq; habemus. Bene vale & Brixium tuũ vt amas, amare nunq̃ desine. Lutetiæ ex ædibus nostris XIIII Calend. Apriles. M. D. XXVIII.

# DIVI IOANNIS CHRYSOSTOMI LIBER CONTRA GENTILES Babylæ epiſcopi ac martyris vitam continens, Germano Brixio Altiſſiodoreñ. interprete.


Ominus noſter IESVS ad crucis ſupplicium iamiam acceſſurus, ac mortem illam viuificam moriturus, illa ipſa nocte poſtrema, dum diſcipulos ad ſe ſuos ſemotis arbitris vocaſſet, apud eos quum permulta verba alia fecit, eoſdem plurimarum rerum cõmonefaciẽs, tum inter alia, & tale quiddã ad eos locutus eſt. Amen amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ille faciet, & his maiora faciet. Atqui multi olim alij magiſtri extitere, qui & diſcipulos habuerũt, & miracula item oſtentarunt, quemadmodum iactitantes gloriantur gentiles, verũtamen illorum nemo vnquam eiuſmodi orationem vſurpare, ac ne animo quidem verſare auſus eſt. neq; ſane poſſint è gentilibus aliqui, etiam ſi nullius illos mendacij pudeat, commõſtrare huiuſmodi elogium, ſermonémve apud ſe extare. ſpectra quidem certe demortuorum, neq; nõ cadauerum quorundam ſimulachra qui repræſentarent, multi multos apud ſe nouarum, mirandarumq;

rerũ authores extitiſſe affirmant, quin & voces quaſdam è monumentis eductas ad nonnullos perueniſſe referũt. quod vero quiſquam ex eis omnibus, qui magna in admiratione habiti apud illos vixerũt, vel quos poſt obitum in deorum numerũ relatos opinati ſunt, tali ad diſcipulos ſuos oratione vſus ſit, illorũ ſane nemo vnquam affirmauerit. Cauſam autem, ſi placet, aperiam, quamobrem illi in reliquis alioqui omnibus impudẽtes nudo quaſi capite, ac perfricta fronte mendacia ſua proferẽtes, tamen eius generis commentum effingere auſi nunquam fuerint. Non enim temere, neq; certe ab re ab eo ſermone comminiſcendo abſtinuerunt, ſed hoc ipſum aſtute ſciuerunt peſtilentiſſimi generis noſtri hoſtes illi, eũ qui alijs fucum facturus ſit, oportere probabilia quædam, & verſutiæ, atq; artificij plena, & quę deprehẽdi non facile queãt commentari. Nam & callidos tum piſcatores, tum aucupes nequaquam nuda proponere retia, ſed illis diligẽter eſca prius circunlitis, ita demũ venationis vtriuſq; vtroſque compotes euadere, qui ſi retibus detectis, ea belluis quas captant contuenda præbuerint: fiet certe, vt neq; piſces, neq; aues vnquam introeant, imò vero ne illis quidem prorſus appropinquent, ita vt vterque domũ vacuis manibus ſit reuerſurus, tam qui mari piſcatur, q̃ qui terra venatur. Ergo quãdo & illis quoq;

propositum erat homines ĩ nassam obtrudere, suam ipsorum imposturam in huius vitę quasi mare quoddam nudam minime coniecerunt: sed cõfictis prius, ac compositis ijs, quibus imprudentiores capere possent, vlterius mendacio procedere supersederunt, vt qui nimium in decipiẽdo excessum vererentur, ac formidarent ne priores suas fraudes posteriorum immodica licentia subuerterent. Si enim hoc dixissent, extitisse apud se, qui tale quiddam professus esset, quale seruator noster ad discipulos suos dixit, certe vel illis ipsis, quibus fucus fieret, ridiculos se prębuissent, quasi qui ne probabilia quidem mentiri possent. Nam tale quidpiam profiteri, idq́ reipsa pręstare, ad diuinã illam virtutem solam spectat. Quod si potuere olim dæmones homines in errorem adductos per phantasmata nõnihil ludificari, idipsum tum vsu venit, quũ luminis fons vulgo nondum cognitus erat. quo certe tempore partim fraude alia, atque alia, partim sacrificijs ipsis declarabatur, quæ fierent, omnia dæmonum opera esse. Illos enim suas aras imperare, humano sanguine rubefieri, neque non ab illis ipsis qui genuissent iubere eiusmodi sibi victimas immolari, id vero quã vel summam insaniam non obscuret? qui enim malis nostris nunquam satiantur, neque vllum terminum, aut finem propositæ semel aduersus nos pugnæ no-

runt, ſed immortalem vbiq; præ ſe rabiem ferũt, perinde quaſi neutiquam ipſis abunde ſatis foret ad proprium furorem explendum, ad ſuas aras horum, vel horum tum vxores, tum liberos pro ouibus, ac bobus adductos immolari, ij nimirum nouam quandam homicidij immanitatem excogitarunt, atq; adeo inſolentiorem calamitatis modum introduxerũt. quos enim cõueniebat peremptorum cædes lugere, ijs dæmones ijdem perſuaſere, authoréſq; fuere, vt eos qui occidendi eſſent in miſerabilis illius homicidij theatrum producerent: qui item, vt ne humanę tantum leges ignominiam paterentur, & ipſas quoq; naturæ leges funditus diuulſas ſubuerterunt: præſtantes, vt ipſa hæc, quam dico, natura aduerſum ſemet debaccharetur, ac cædem omnium ſceleſtiſſimam in hominum vitam introducentes. Nullos enim iam inimicos ſic, vt genitores ipſos cuncti formidabant, atq; adeo quibus maxime omniũ fidere oportebat, hos maxime omnium ſuſpectos habebant, atq; auerſabantur. Siquidem cacodæmones illi ſummopere cõtendebãt, vt per quos dei beneficio ad mundi huius ſpectaculum proceſſeras, per eos tute huiuſmodi dono priuatus exigereris. Hoc agentes, vt qui tibi ad vitæ munera capeſſenda adminiſtri fuiſſent, ij & mortis quoque authores fierẽt, perinde quaſi planum facere volentes, mortalibus

nihil prorſus lucri, nihil auctarij ex dei optimi maxi=mi bonitate acceſſiſſe, vt qui non alijs egerent iugula=toribus, q̃ illis ipſis a quibus geniti fuiſſent. Hæc etiã=ſi magnũ aliquod miraculum ſubſecutum fuiſſet, ne=dum ſicubi exiguum quoddam, ac nihili æſtimandũ, idemq; multa impoſtura ſcatẽs proditum fuerit, hæc inquã opera etiam ſi magna fuiſſent, tamen quæ ego dixi eiuſmodi fuiſſe conſtat, vt abunde probare poſ=ſint, ijs quidem certe, qui mente prorſus alienata ne=quaquam ſunt, quinam plane eſſent operum illorum artifices, vt flagitioſi, vt omnibus modis ſceleſti, vt nihil non ad vitæ, ſtatúſq; noſtri ſubuerſionem molientes. At vero dominus noſter IESVS nobis quod tale foret nihil quicquã imperauit, ſed admirabilis quum ſit ob ea, quæ ædidit miracula, nimirũ ob ea quæ reli=quit præcepta nihilominus, q̃ ob miracula iure ab omnibus adorari, ac deus eſſe credi poſſit. Impietatem quippe eam quam diximus aduẽtu ipſe ſuo ſoluit, & quod mirabilius etiam eſt, ab hac dura, & immani tyrannide non nos modo, qui ipſum adoramus, ſed eos item a quibus blaſphemijs, ac conuitijs laceratur, im=munes eſſe voluit. neq; enim gentilium quiſquam huiuſmodi victimas dæmonibus ſuis poſthac offerre coactus eſt. tãta eſt ille erga noſtrum genus humanita=te ſemper vſus, cuius etiam ampliora extant erga ini=

micos ſuos beneficia, q̄ dæmonum in amicos ſuos ma
leficia. Siquidem dæmones eos à quibus colerentur,
atq; honorarentur propriorum liberorum mactato-
res agere coegerunt, quum contra CHRISTVS eos
qui ſe auerſarentur ab huiuſmodi imperijs liberos eſ-
ſe voluerit, immaniſq; illius ſacrificij immunitatem,
necnon pacem hanc admirabilem non intra ſuos mo
do coartauerit, ſed & ad alienos vſq; eduxerit. Hac ra
tione oſtendens illos quidem tyrãnos quoſdam, ac ge
neris noſtri peſtilentiſſimos hoſtes eſſe: quo nomine
ſic, ijs etiam quos ſibi aſciuerant, quaſi alienis abute-
bantur, ſiquidem erant & ipſi alieni. Ipſe autẽ & rex,
& opifex, & aſſertor totius generis hominum exti-
tit, ob quod vel alienis, vt proprijs pepercit. Etenim
proprium ipſius opus erat vniuerſa hominum natu-
ra. quemadmodũ & diſcipulus eius ait, In propria ve
nit, & proprij eum non receperunt. Verumenimue-
ro omnem eius in nos clementiam enumerare tempo
ris huius non eſt, de qua quidem, vt nullo vnquã tem
pore loqui deſinas, tanta etiam virtute præditus, quã-
ta incorporeas illas virtutes præditas eſſe par eſt, ne ſic
quidẽ rem pro dignitate attingas, q̄ enim bonus eſt,
ſolus ipſe nouit, quandoquidẽ & ſolus ipſe ſic bonus
eſt. Vide igitur cuiuſmodi verbis diſcipulos ſuos con
ueniat. Amen amen dico vobis, qui credit in me, ope-

ra quæ ego facio, & ille faciet, & his item maiora faciet. neq; enim tãtæ eos gratiæ participes esse voluisset, non summa ipse, atq; adeo immensa bonitate præditus. quod si quis forte mecũ disceptet, vbinam CHRISTI oraculum hoc, finem suum sortitum sit, accepto in manus libro eo, cui acta apostolorũ nomen est (cõtinet autem is non acta ipsa omnia, neq; omnium, sed vnius tãtum, & alterius, & ea quidem non ita multa) videbit hinc ægrotos in lectulis decubãtes, vmbras autem beatorum illorum solo statim corporum attactu ipsis sanitatẽ restituere: hinc furiosos permultos nullo prorsus alio, q̃ tactarũ Pauli vestium remedio, vt ab infestante ipsos dæmone liberarẽtur eguisse. Quæ omnia si quis fastum esse dicat, & figmentorum pręstigias minime persuasu faciles certe quæ nunc conspiciuntur, ad blasphemum os obturandum, idq; pudefaciendum, ad effrenem linguam cohibẽdam, satis superque fuerint. Nulla est enim in eo quidem orbe qui apud nos habitabilis est seu regio, seu gens, seu vrbs, vbi noua atq; inopinata miracula hæc non decantentur, quæ quidem si figmenta fuissent, prorsus in tantam hominum admirationem non venissent. Atque huius rei testimonium ipsi vos nobis exhibere possitis, eorum enim quæ à me dicũtur necessarium nobis non erit aliunde fidem mutuari, quum vos, qui ijdem

hostes nostri estis, nobis per vos eã præstetis. Quámnam enim ob causam Zoroastrem illum, itémq; Zamolxim ne de nomine quidem multi, imo vero nulli nisi admodũ pauci norunt? quoniam figmenta sunt, quæ de illis circunferuntur omnia, quanquam tum illi, tum ij etiam, qui illorum facta memoriæ prodiderunt, summi artifices fuisse feruntur: illi quidem imposturæ comminiscendæ, atque exercendæ, hi autem mendacij orationis illecebris adumbrandi. sed quemadmodum omnia frustra ac temere fiũt, quum vitiatum, infirmum, ac minime verum fuerit eorum quæ dicere proposueris argumentũ, sic quum id solidum, ac verũ, omnia rursus frustra ac temere tẽtantur, quæ ad illius subuersionem ab inimicis excogitata fuerint. veritatis enim robur plane nullo indiget auxilio, sed vt infinitos habeat, qui ipsam extinguere conẽtur, ea non solum non obliterari potest, sed & per eos quoque, à quibus oppugnatur, splẽdidior multo, ac sublimior exurgit, eosdem illos irridẽs, nihil aliud, q̃ tum sese discrutiantes, tum vere insanientes. Etenim apud nos quæ vos figmẽta esse affirmatis, & tyranni, & reges, & inuicti dicendo sophistæ, præterea & philosophi, & incantatores, & magi, & dæmones subuertere summo studio tentauerunt, & debilitata est aduersus eos lingua ipsorum, vt prophetæ verbum vsurpem,

& sagitta infantium plagæ eorũ factę sunt. Ipsi enim reges non alium sane fructum reportarũt, non alium quæstum fecerunt ex ijs, quas nobis struxere insidijs, nisi quod feritatis opinionẽ apud omnes assecuti sũt. nam propter eum demum furorem, quem in martyres prætulerunt, in communem naturam ferocientes, seipsi imprudentes infinitis obnoxios opprobrijs reddiderunt. philosophi autem, & ingeniosi item rhetores, opinionem multam cum apud plerosq; haberent, illi sanctimoniæ, hi eloquentiæ, gesta aduersus nos pugna, ita ridiculi euasere, vt visi fuerint nihil prorsus a nugantibus pueris discrepare. ex tot enim gẽtibus, ex tot populis, non sapientem aliquem, non insipiẽtem, non virum, non mulierem, sed ne puerulum quidem a sententia suadendo deducere potuerũt. quin potius tantus risus ex ijs, quæ illi contra nos tentauere, exortus est, vt vel eorum libri in nos scripti iam olim exoleuerint, ex quibus etiam complures, simulatque editi fuere, funditus deperierũt. sicubi autem saluus aliquis comperiatur, hunc penes Christianos asseruari inuenias. tantum abest, vt ab illorum in nos insidijs detrimentum aliquod suspicemur: sic irridemus multiplices, eosdémque superuacaneos illorum aduersum nos conatus. neq; enim si adamantina, atq; immortalia nobis corpora inessent, scorpios, serpentes, ignem mani-

bus conſtringentes timeremus, quinimo & huius rei periculum vulgo oſtẽtantes faceremus: eadem ratione, neq; poſteaquam animas noſtras fidemq́; in nobis tantam ſtabiliuit CHRISTVS hoſtium noſtrorũ venenis impetiti timemus. nam ſi nobis imperatum eſt ſuper ſerpẽtes, ac ſcorpios, ſuper omnem item diaboli tyrannidem ambulare: multo magis ſuper vermes, & ſcarabeos. horum enim librorum ab aduerſarijs religionis noſtræ conſcriptorum nocumentum tali interuallo diſſidet, ſi eos compares cũ mali illius in nos dæmonis inſidijs. Et noſtrarum quidem rerum ea eſt ratio: veſtrarum vero talis. Aduerſum vos nullus vnquam bellum geſſit, neq; enim Chriſtianis fas eſt neceſſitate, ac violẽtia illata errorem ſubuertere, ſed tum ſuadela, tum oratione, tum manſuetudine hominum ſalus cõcilianda eſt. quo nomine nullus omnino rex, ex eis qui à CHRISTO ſteterunt talia aduerſum vos dogmata ſanxit, qualia aduerſum nos excogitarunt, qui dæmonum cultum ſunt ſecuti. Veruntamen gentilis ſuperſtitionis error tanta quiete quum frueretur, & à nemine illi negocium faceſſeretur, per ſeſe tamen extinctus eſt, & in ſe ipſe corruit, eorum corporum more quæ longa ac diutina tabes exedit: quæ quidem ſponte ſua, vel à nemine offenſa, corrumpũtur, ac ſenſim diſſoluta prorſus depereunt. Quo fit vt ſi nec in

totũ ſatanicus iſte riſus ab orbe exoluiſſet, certe vel ea quæ iam facta ſunt, ſatis forent ad firmandam in nobis rerum futurarũ fidem. plura enim tam breui tempore ſubuerſa quum ſint, de reliquis nemo poſtea cõtrouerſiam mouebit. Etenim vrbe capta, muris dirutis, exuſtis prætorijs, theatris, deambulacris, deniq; deletis ijs omnibus, qui arma ferre poſſent, ſi quis forte intueatur porticus aliquot ſemiuſtas, & paucarum ædium ſtantes adhuc partes, ſaluis aniculis ac puerulis: is non continuo victori, & qui plurima iam ex parte rerum potitus fuerit, victoriam controuerſam facturus eſt, tanquam non valenti quod reliquum eſt conficere. Piſcatorum vero inſtituta non perinde ſeſe habent, quæ ipſa in ſingulos dies magis florent, & quidem non per apertam quandam, vt ſic dixerim, planiciem, non per quietem, ſed per afflictionem, per bella, per pugnas ad noſtram vſq; ętatem perducta ſunt. Gẽtilitas enim per vniuerſum terrarum orbem latiſſime quum patuiſſet, mortaliumq; omnium animos occupaſſet: poſtmodum ita, vt videmus, poſt tãtum robur, atque incrementum, ipſius CHRISTI virtute diſſipata eſt. Noſtra vero prædicatio, non quum iam vbiq; tradita, ac ſolide ſtabilita eſſet, aduerſas bellatorum manus ſuſtinuit, ſed vixdum in auditorum animis infixa, atq; inſita iam inde ab initio coacta eſt, tan

quam acie instructa depugnare contra vniuersum ter rarum orbem, contra principatus, contra potestates, contra mundi dominos, ac rectores tenebrarum secu li huius, contra spirituales versutias. fidei enim scintil la nondum bene accensa fluuij, atq; abyssi vndequaq; influebāt. Vos autem, opinor, nequaquam latet, non perinde esse plantam eam euellere, quæ multis iam an nis radices alte egerit, atque eam quam nuper seueris. sed tamen quum is esset rerum status, in Christianæ quidem pietatis scintillam, quod modo dixi, aduersa riorū mare inundabat. ea vero scintilla eiusmodi in undatione non solum non restinguebatur, sed & ma ior, & illustrior inde quū exurgeret, quoquouersum statim omnia suo flatu comprehendebat, aduersario rum partes facile perdens, ac consumens, nostras au tem Christianorum excitans, atq; ad immensam tol lens altitudinē. etiamsi viri quidam simplices, tenues, atque obscuri operam ad eam rem suam præstarent. Neq; vero piscatorum illorum vel verba, vel miracu la successum huiusmodi efficiebāt: sed CHRISTI vir tus in illos efficaciam suam infundēs. Nam ex ijs, qui quæ dixi miracula edebant, alter, is Paulus fuit, taber naculorum texendorum artifex: alter, Petrus is fuit, piscator erat. & quidem in mentem nunquam venis set hominibus tam tenuibus, tamq; abiectis tale quid

dam effingere, nisi si quis eos insanisse, ac delirasse dicat: hi porro quod non insanirent, liquet tum ex egregijs virtutis eximiæ operibus, quæ illi solo verbo ediderunt, tum ex compluribus, qui etiam nũc huiusmodi operibus fidem habent. Nunquam igitur talia temere illi vel ementiti fuissent, vel gloriabundi iactassent. Siquidem quod initio dixi, qui alijs verba daturus est, mẽtitur quidem: mentitur autem non sic, vt omnibus planum id fiat. Si enim posteaquam & res ipsæ contigerunt, & tam multi rerum earundẽ euentum verũ fuisse sunt testati, tum ij qui per ea tempora crediderunt, tum ij qui ex eo tempore vbiq; eadem hęc ita esse decãtant, non apud nos modo, sed & apud barbaros, & si qui barbaris ipsis sunt efferatiores: nõnullos tamen adhuc inuenias, qui post tot ac tanta signa, post vniuersi, vt sic dicam, orbis testimonium, prorsus ijs omnibus, quæ antea facta sunt, nullam fidem habeant (vt taceam hic permultos esse, qui de re tota nihil quicquam inuestigare, nihil indagare, nihil examinare laborant) quis obsecro, initio neque rebus ipsis coràm perspectis, neq; recepto rerum earundem digno testimonio, fidem suam CHRISTO obstrinxisset? quid autẽ omnino illos cõmouisset tale quiddam fingere atq; componere? neq; enim orationis vi (qua enim fronte id illi attentassent, quum eorum al-

ter literas prorſus ignorauerit?) neq; opum, ac diuitiarum copia ſubnixi erant, vt quibus neceſſarius victus vix ſuppeteret manuũ ſuarum opificio victitãtibus. at neque ob natalium ſplendorem criſtas tollere illis licebat. alterius enim patrem ignoramus, tam fuit ille obſcurus, atq; ignotus, Petri autem notus quidem pater fuit, ſed ea ex parte Pauli patrem claritudine ſuperat, quatenus eius nomen ſacræ tantum ſcripturæ nobis notum, idq; propter filium, eſſe voluerũt. Quod ſi & regionem, & gẽtem exquirere velis, alterum Cilicem fuiſſe comperies, alterum ignobilis ciuitatis ciuem, ſeu, vt verius dicam, non ciuitatis, ſed vici cuiuſdam infimi incolam, quippe qui Bethſaidæ (locum in Galilæa hoc nomine appellant) natus ſit. Iam artes eorum quiſquis audiet, quales fuerũt, videbit nihil illas magnũ, nihil graue ſpirare: nam tabernaculorum artifex piſcatore quidẽ honeſtior, ſed idem tamen cæteris artificibus vilior. Vnde ergo, obſecro, vnde rem tantam ſimulare auderent? quánam ſpe ſublati? quo præſidio freti? nónne calamo: atq; hamo? an cultro ac terebra? homines inſani in malam crucẽ iam hinc non diſcedetis, aut vobis præcipitiũ aliquod parabitis? Agedum vero fingamus per vos hoc quod alioqui humanis viribus fieri nequit, fieri tamẽ poſſe: hoc eſt vt tum is, qui è palude recens egreſſus ſit, hæc verba vſur

pet. Corporis huius vmbra mortuos suscitare potest, tum is, qui nuper ex coriaceorum tabernaculorũ officina exilierit, de vestibus suis eadem, quæ ille, gloriabũdus profiteatur, quis ita insaniret, ex ijs qui hæc exaudirent, vt nudis modo verbis tam magnis de rebus fidem haberet? quamobrem autem nullus plane ab illo tempore artifex tale quiddam vel ipse de se, vel alius de illo prædicauit? quanquam si quæ à nostris facta sunt, ea figmenta fuissent: verisimile quidẽ est minori negocio talia mendacia fuisse conficturos, qui illos sunt subsecuti. Illi enim quum quod facerẽt, id ad alios, qui tale quiddam olim fecissent, referre non haberent: certe non poterant sperare futurũ vt figmentum sibi suum succederet. Qui vero illis posteriores fuere, ad illos spectantes figmẽtum idem promptius sane, ac facilius aggredi ausi fuissent, pręsertim quum haberent priorum exemplum audaciam, ac fiduciam posterioribus addẽs. perinde quasi nullus vsquam sit qui mẽtem habeat, quin potius omnes obstupescant, atq; insaniant, atq; adeo vnicuiq; volẽti liceat quæcunque ipse velit de se prædicare, alijsq; persuadere. Nugæ sunt hæc, risus, ac non nisi gentilis stultitiæ verba. Quemadmodum enim si quis adductus sit in cælum arcum intendere, velut sagittis suis illud perrupturus, aut oceanum exhaurire, tanquam suis illum manibus

vacuaturus,hunc profecto ex facetioribus riſu,ex gra
uioribus lachrymis,ijſq; permultis nullus non proſe-
queretur:ſic quoties nobis gẽtiles contradixerint,be-
ne habebit res, ſi illos & rideamus & deploremus. res
enim multo magis arduas,multo magis imperuias ag
grediuntur,q̃ qui vel cælũ vulnerare,vel abyſſum va-
cuare ſe poſſe ſperat. Neque enim vnquam donec lux
exiſtet,tenebræ erunt lux, neq; rerum noſtrarum ve-
ritas redarguetur. Veritas enim eſt. hac autẽ nihil va-
lidius. Iam quod vetera ea,quę nos auditu accepimus,
non minori fide dgna ſint, q̃ quæ præſentia ſunt, &
quæ ipſi videmus,id certe omnes fateantur,niſi ſi qui
forte ſtupidi,ac delirantes fuerint. verũ vt victoriam
etiam vel ex ſuperioribus facultatibus reportemus,vo
lo & memoriæ noſtræ nouum quoddam,atq; inopi-
natum facinus proferre. Enimuero ne tumultuemi-
ni,ſi miraculum ætate noſtra factum dicturũ me pol
licitus, tamẽ à veteri hiſtoria narrationis exordiũ con
texere aggredior.neque enim intra vetera illa tantum
ſubſiſtam:neque quę ego vetera ſum huc allaturus,ea
à rerum nouarũ argumẽto diſcrepant:ſic enim vtraq;
inter ſeſe cohærent, vt non poſſis illorum conſequen
tiam alteram ab altera ſeparare.Id quod auditis rebus
probe iudicabitis.Fuit imperator quidam progenito
rum noſtrorũ temporibus, qui qualis alioqui fuerit,

dicere non habeo, verum vbi ſcelus ab eodem magna audacia, atq; improbitate patratum audieritis, & reliquam morum illius crudelitatem perſpectam habebitis. quodnam ergo piaculũ id fuit? Viſum fuerat genti cuidam cũ hoc imperatore bello decertanti, bellum tandem componere, ſic, vt neq; alteros affligerẽt, neq; ipſi viciſſim ab alteris affligerentur, quin potius moleſtijs, periculis, omni deniq; timore defungerẽtur, ac partis contenti, nihil quicquam prȩterea requirerent. præſtare enim timore procul ablegato mediocribus frui, q̃ plura appetentes vbiq; timere, trepidare, atque adeo malis vltro, citroq; datis, & acceptis vitam trãſigere. Itaq; quum cõſtitutum illis eſſet, bello prorſus depoſito quietam, ac minime ſolicitam vitam viuere, viſum eſt commodum hoc firma aliqua pactione, ac ſtabilibus terminis vinctum cõfirmare. Tum fœdere facto, dato, atq; accepto iureiurãdo, & regi inſuper ſuo ſuadere conantur, vti ſuo ipſius filio (puer autem is admodum erat) pro certo pacis pignore depoſito præſtaret, tum vt qui prius hoſtes erant bono in futurum animo eſſent, tum animi, ac conſilij ſui teſtimonio prodito indicaret, ſe, quam pacem cum illis faceret, eam citra dolum omnem facere. qua oratione rex adductus filiũ dedidit, vt ipſe quidẽ opinabatur, amicis, ac ſocijs: vt vero rei exitus probauit, belluȩ omniũ

belluarum crudeliſſimę. Amicitiæ enim ac fœderis le
ge regium illũ puerulum quum accepiſſet, ſtatim om
nia ſimul conculcauit, ac ſubuertit, iuſiurandum, pa=
cta, pudorẽ eum qui homini ab homine, religionem
quæ deo debetur, miſericordiam quam à nobis ætas il
la impetrare ſolet, ac neqꝫ iuuentus feram illam flexit,
neque ſane quæ huiuſmodi ſceleribus comes eſſe ſolet
vltio agreſte illud pectus terruit, neque patris filiũ de=
ponẽtis verba eiuſdem animũ ſubire, ea inquam quæ
ille filium in manum tradens fortaſſe mandarat, dum
poſtulat vti eiuſdem curam q̃ diligentiſſime impera=
tor ſuſciperet, patrem etiam illum filio ſuo appellans,
dum obſecrat, vt tãquam ipſe genitor foret, ſic illum
enutriret, atqꝫ erudiret, perficeretqꝫ vt maiorum ſuo=
rum nobilitate dignus ille olim euaderet, deniqꝫ dum
idem pater inter hæc verba media filij dextram homi
cidæ dextræ inſertat, ac multis etiam cum lachrymis
congreſſum ſoluit. horum omnium inquinatiſſimus
ille nihil quicquam ſecum reputans, quin potius om=
nibus illis vnà ex animo excuſſis cędem illam cędium
omnium ſceleſtiſſimam patrat. Hoc enim flagitium
filij etiam proprij cæde grauius eſt. cuius rei teſtimo=
nium à vobis mutuabor, qui vtiqꝫ non ſic, opinor, in=
doluiſſetis (ſi modo ex animi mei affectibus & ve=
ſtrorum item affectuũ coniecturam facere oportet)

ſi illum audijſſetis proprium filium occidiſſe: tum e=
nim vnà cum cōmunibus legibus & naturæ etiam le=
ges ſubuerti viſæ fuiſſent. Hic autem plurima ſimul
concurrerunt, quæ numero ipſo naturæ neceſſitudi=
ne validiora eſſe poſſunt. Quoties enim mihi ante o=
culos obuerſatur adoleſcens ille prorſus innocēs, idem
à patre deditus, idem à maiorum ſuorum regia auul=
ſus, idem domeſticas delitias, gloriam, honorem cum
extorri vita hoc nomine commutans, vt poſſet impu
rus imperator pactis cū hoſte fœderibus fidere, idem
poſtea ab illo miſere confectus, & ſplēdore domus pa
ternæ per eadem fœdera priuatus, deniq; ab eodem iu
gulatus, nimirum contrarius me ſubit affectus, lique=
facto ſimul, atq; exæſtuante intus animo. quorum af
fectuū alterum mihi ira, alterū mœſtitia parit. Nam
dum mecum reputo ſceleſtum illum armantem ſeſe,
gladium intentantem, pueri collum apprehendētem,
qua dextra depoſitum receperat, hac eadem gladium
in illud impellentem, diſrumpor, atq; adeo ira ſuffo=
cor. Rurſus dum intueor iuuenem illum timentem,
tremētem, ploratus extremos plorantem, patrem in=
clamantem, hunc ipſum iſtarum rerum authorē fuiſ=
ſe atteſtantem, cædem non ei, qui gladium in guttur
mergeret, ſed ei, qui ſe genuiſſet imputantem, neq; fu
gam adornare, neq; ſibi auxilio eſſe valentē: ſed quod

vnum ſupereſt, fruſtra de proprio genitore expoſtulantem, deniq; plagam receptantem, palpitantem, calcibus pauimentum ferientem, terram ſanguineis riuis inquinantẽ, ipſa mihi intus viſcera diſcerpuntur, ipſa mihi cogitatio obtenebratur, ac mihi ob oculos mœſtitiæ caligo quædam offunditur. At vero non perinde belluinum illud imperatoris pectus affectũ videas. quin potius quaſi vel agnum, vel vitulum immolaturus, ad ſceleſtam illã cædem animatus fertur. Et puer quidem plaga accepta exanimis iacebat. At percuſſor ſcelere hoc admiſſo noui etiam certaminis rationem inibat, poſteriori facinore prius illud obſcurare laborans. Exiſtimaturus es fortaſſe me de ſepultura loqui velle, deq; imperatoris impietate, qui à ſe occiſo ne tãtillũ quidẽ terræ impertiuerit. Ego vero aliud quoddam facinus eo, quod à me iam dictum eſt, lõge atrocius indicaturus ſum. Nã manus illas impias tam innocẽti ſanguine vbi conſpurcauit, nouamq; illam tragœdiam peregit, quaſi nullo prorſus à ſe facinore patrato, effrons, & ipſis etiam ſaxis durior ad dei opti. maxi. templum feſtinabundus accurrit. Miraturi fortaſſe ſunt nonnulli cur factum eſt, vt qui tam ſæuum patraſſet facinus, diuina ſtatim plaga percuſſus nõ fuerit. aut quo pacto priuſquã introijſſet, in illum deus non continuo fulmen cælitus contorſerit, ita vt eiuſ-

dem os impudens cælesti igni mox conflagraret. Ego vero, si quibus huiusmodi cogitatio in animū descenderit, laudo quidem illos & admiror excandescentiæ istius causa, veruntamen huic meæ de illis tum laudationi, tum admirationi nonnihil certe adhuc deesse dico. Etenim iusta quidē illos indignatio subit tum ob necatum iniuria puerum, tum ob diuinas leges tanta cum petulantia, atq; contumelia violatas, sed ijdem tamen iræ impotentia exæstuantes rem ipsam totā non perpendunt. Iustitiæ enim lege hac alia quædā lex longe sublimior in cælis fixa manet. Lex vero ea quæ nā esse potest? Iis qui peccatum aliquod commisere, pœnam non euestigio deum irrogare, sed tempus delinquenti concedere, ac veluti præscriptum diem statuere, intra quem, peccatum quum exuerit, pœnitentiæ beneficio par tandē ijs euadat, qui nullū prorsus peccatum admiserūt. Id quod & tunc deus in miserum, ac perditū illum cōmonstrauit, sed nullus tamen propterea subsequebatur profectus, inemendatus enim persistebat. At deus, quo est in humanū genus amore, hoc etiam quum præuidisset, ne sic quidem illum despexit, neque partes ipse suas intermisit, sed & laborantem inuisit, adhibitis etiam ijs remedijs, quæ salutem afferre possent. cæterum tantum abfuit, vt porrectum ille medicamētum admitteret, vt vel medicum

ad se hoc nomine missum trucidauerit. Medicamen-
tũ porro, ac medicinæ item ratio huiusmodi erat. For
te fortuna per quod tẽpus crudelis, ac miserãda, quam
dixi, tragœdia licẽtiose ageretur, magnus quidam, at-
que admirabilis vir, si modo viri nomine designare il
lum fas est, Christiani apud nos gregis curã gerebat,
Babylas huic nomen erat: is igitur, quum spiritus san
cti gratia, prouincia ea, quã dixi, defungeretur, Eliam,
atque huius æmulum Ioannem non dico præterijt, ne
inuidioso admodũ verbo vtar, sed vsqueadeo est asse
cutus, vt ne tantillum quidem illorum generosorum
pectorum libertati concesserit. Neq; enim paucarum
ciuitatum tetrarcham, neque gentis vnius regem, sed
eum, qui imperio suo plurimam totius orbis partem
cõtineret, ipsum, ipsum hunc inquam homicidam de
quo nobis est sermo, eundẽ multarum gentium, mul
tarum ciuitatum, immensi item exercitus dominum,
eundem quoquò te vertas, tum ab imperij amplitudi
ne, tum à morum ferocitate terribilẽ, quasi vile quod-
dam, ac nullius precij mancipium sic à dei templo ex-
egit: tanta adeo cum constantia, atq; animi præsentia,
cum quanta pastor scabiosam, ac morbidam ouem ab
ouili excludit, dum prohibet, ne laborantis ouis mor-
bus ad reliquum quoq; gregem contagione serpat. Et
hæc quidem perfecit Babylas, reipsa seruatoris nostri

verbum confirmans. Solum illum videlicet seruum esse, qui peccatum facit, vt mille etiam coronas capite gestet, vt omnibus, qui super terram sunt, hominibus imperare videatur: qui autem culpæ nullius sibi conscius est, vt in subditorum classe censeatur, hunc vel regibus omnibus superiorem, præstantiorémque esse. Ergo ipsum imperatorem statim is, qui illius imperio parebat, corripuit: & eum, qui omnium dominator erat, subditus in ius vocauit, atq; adeo aduersus eum, damnationis calculum tulit. Tu vero quisquis es qui hæc audis, noli quod dictum est leuiter transmittere. Nam auditus facti huius nũtius, extitisse scilicet ex subditis, qui imperatorem à tẽpli vestibulo exegerit, per se abunde satis est ad commouendos, ac perterrefaciendos auditorum animos. qui si vis miraculum totum exacte pernoscere, ne verbum ipsum nudum spectes, sed ponito tibi ob oculos hinc satellites hastatos, hinc milites scutatos, hinc tribunos, hinc exercitus duces, hinc permultos in aula regia educatos, hinc eos quibus ciuitatum administratio credita esset, hinc præeuntium, hinc sequentium fastũ, hinc assecIarum seseipsos vrgentium turbam: deniq; vniuersum imperatoris famulitium. posthæc ipsum imperatorem in medio illo comitatu multo cum fastu ingredientem, eundemq́; vestium, purpuræ, lapillorum, hac illac con

ſperſorum, in dextra, in militaris veſtis commiſſura, in capitis diademate refulgentium ſumptu ſibi placentem. ac ne hoc quidem loci cœptę ſemel à te imaginis iſtius faciem finias, quin eandem proferas ad dei vſque ſeruum illum, beatum inquam Babylam, eiuſdemque humilem habitum, vulgarem veſtem, animam cõtritam, ſpiritum ab omni temeritate alienum: atque his demum coloribus vtrunque quum depinxeris, & alterum alteri oppoſueris, tum certe facti huius miraculum belle perſpicies. Imò vero ne ſic quidẽ id exacte comprehendes. Babylę enim vocis libertatem nullius plane ſermo, nullius oculorum acies repræſẽtare queat, ſed ſolum illius experimẽtum, atque vſus. cuius item Babylæ conſtantis animi præſentiã ſolus is poſſit recte animo cõcipere, qui potuerit ad idem libertatis faſtigium pertingere. Quomodo enim ſenex ille acceſſit? quomodo prætoriam cohortem diſſipauit? quomodo labia diduxit? quomodo verba fecit? quomodo increpuit? quomodo dextram in pectus impegit? pectus inquam ira turgens, ac cæde feruẽs, quomodo homicidam exegit? nihil eum ex ijs, quæ agerentur deterruit, nihil de ſentẽtia deduxit. Exclamare hic libet, ô animum imperterritum, mentémque excelſam. ô cæleſte pectus, & conſtantiam angelicam. Tanquam enim depictam in pariete videret vniuerſam illam ſpe-

ciē, sic omnia intrepide generosus ille vir peregit. Etenim illū sacræ erudierant literæ, mundi huius res omnes non nisi vmbram esse, ac somniū, & si quid his vanius est. propterea Babylam nihil imperatoria amplitudo terruit, imò vero magis animauit. illorum enim quæ coràm contuebatur aspectus, eius cogitationem traducebat ad supremum illum regem sedētem super cherubin, abyssos contuētem, ad thronum illum gloriosum, & excelsum, ad exercitum illum cælestem, ad angelorum myriadas, ad chiliadas archangelorum, ad suggestum terribilem, ad tribunal incorruptū, ad flumen ignis, ad iudicem ipsum. Propterea certe se ipse totum à terra in cælū transferens, quasi iudicij ipsi adsisteret, ipsumq́ audiret iubentem, vti scelestum, atq inquinatum illum à sacrosancto grege expelleret, sic eiecit, & à reliquo armēto separauit, nihili prorsus faciens, ea omnia quę videbat, quæq́ terrifica alijs vidētur: quin potius illo viriliter, atq admodū generose expellendo, diuinis legibus vim, ac tyrannidem patiētibus opem tulit. Atqui quanta Babylas erga cæteros libertate vsus est, hinc cōstare potest. quémnam enim ex alijs metueret, qui aduersus ipsummet imperatorē tantam sibi potestatem sumpsisset? Equidem vir ille qualis fuerit coniectura quodāmodo assequor, seu vt verius dicā, de eo sic mihi ipse persuasi, vt nihil quic

quam vel in gratiam, vel in odium vnquã, vel fecerit, vel dixerit: ſed generoſo ſemper, ac forti animo contra timorem, contra item adulationẽ, quæ timore impotentior eſt, contra id genus alia (cuiuſmodi multa inter homines accidũt) ſeſe oppoſuerit, nec vnquam, ne tantillum quidem rectum adulterarit iudicium. Si enim amictus, dentium riſus, pedis ingreſſus, hominis naturam arguunt, multo quidem magis tot, ac tanta illius egregia facta omnibus nobis fidem facere poſſint, quantam ille reliqua vita virtutẽ amplexatus fuerit. Neq; enim nobis ille ob orationis modo libertatem admirabilis eſſe debet, verum ob id quoq; quòd eam libertatem ad hoc vſq; loci perduxerit, ſimul ob id, quòd eam vlterius non promouerit. Talis eſt enim CHRISTI ſapiẽtia, quæ permittit ne quid minus, ne quid item plus iuſto decertes, ſed vt omnia intra modum efficias. & quidẽ Babylæ licebat, ſi voluiſſet, vlterius progredi. Ei enim qui vitæ curam ſemel abiecerat (prorſus enim non acceſſiſſet, niſi ſe ipſe huiuſmodi cogitatione armauiſſet) omnia libere agere licebat, & imperatorem conuitijs aſpergere, & diadema capite detrahere, & pugnis os contundere, nam & dextram in pectus iam impegerat, ſed tamen ab his omnibus abſtinuit. animam enim habebat ſale ſpirituali conditam, quæ res præſtabat, vt nihil temere, nihil

ſtulte, ſed omnia recto rationis iudicio, ac ſtato ordi=ne exequeretur. non quemadmodũ gentilium ſapientes, qui nunquam intra modum, ſed vbique, vt ita dicam, aut maiorem, aut minorem, q̃ decet, orationis libertatẽ vſurpant: idq́ꝫ vt nuſquam fortitudinis, vbiqꝫ autem affectuum ratione carentium opinionem ſibi cõcilient, in ijs quæ aſſequi non poſſent metûs, atque ignauię: in quibus exceſſiſſent inſolentiæ, ac vanitatis apud omnes conuicti. At non ſic Babylas noſter, qui quod ipſi in mentem venerat, id non inconſulto aggreſſus eſt, ſed nihil non accurate perpendens, & animi ſui cogitationes diuinis legibus cõformans, ita demum ad opus eas eduxit. Eapropter ſectionẽ ipſam neqꝫ per ſumma tãtum inflixit, vt ne maior membri affecti pars incurata relinqueretur, neque altiorem q̃ deceret, vt ne ſuperuacanea plaga quod ſanũ eſſet offenderet, ſed plaga prius ad morbũ attemperata medicinam q̃ optimam adhibuit. Equidẽ hinc illum pronuntiare auſim ira, puſillanimitate, arrogantia, ambitione, odio, timore, adulatiõe prorſus vacauiſſe. quod ſi & maius quiddam, atqꝫ admirabilius fatendum eſt, non tam certe mirum mihi videtur eũdem aduerſus imperatoriam inſaniam tanta fiducia conſtitiſſe, q̃ vidiſſe, atqꝫ intellexiſſe, quatenus hoc ipſum facere oporteret, nec quicquam pręterea vel feciſſe, vel dixiſſe. Et

quidem quod poſtremū hoc longe illo mirabilius ſit,
multos vtiq; inuenias illius compotes euaſiſſe, ab hoc
tamen ſuperatos. vocis enim libertatem vtcunq; vſur-
pare poſſunt & ex plebeis permulti, ſed illa eadem de-
center vti, tempore conſentaneo, congrua tum men-
ſura, tum prudētia adhibita magni admodum animi,
& admirabilis fuerit. Quando & in beatū illum Da-
uid magna cū licentia, ac contumelia inuectus eſt Se-
mei, quē & ſanguinarium virum appellauit. ſed enim
hanc ego nunquam dixerim vocis libertatem, ſed lin-
guæ potius intemperantiam, mentis temeritatē, con-
tumaciam, dementiam, atq; id genus quodlibet vitiū.
Cōuenit enim, arbitror, vt qui alios reprehēſurus eſt,
is animum ſuum quàm longiſſime ab omni temerita
te, ac contumacia aſſerat, quamq; vſurpat agendi ve-
hementiam, eam ex verborum, atq; rerum natura tan
tum demōſtret. Etenim medici dum vel putrida mē-
bra ſecare, vel intumeſcentia cōprimere opus eſt, non
ira prius animum ſuum complētes, ita demum ad cu-
randum accedunt, ſed tum potiſſimū compoſito vul
tu animi cogitationem continere adlaborent, vt ne ar
ti ipſi turbati animi motus officiat. Quod ſi corpus
curaturo tanta animi ſedatione opus eſt, cedò, quo ani
marum medicum loco conſtituemus? quantam ab eo
ſapientiam exigemus? certe longe maiorem, atq; adeo

tantam, quantam bonus ille martyr præstitit. Nobis enim quosdam quasi terminos, & regulas præscribit, per quas videlicet & in reliquis facta proportione nobis ipsi modum desumamus, sic miserũ illum à sacro sanctis claustris summouit. Ac factum quidem istud videri potest vnum modo esse egregię virtutis opus. veruntamen si quis id perpendat, ac tanquã explicans vndecunq; diligenter speculetur, inueniet & alterum, & tertium item emolumentum inde simul enasci, magnumq; inibi vtilitatis thesaurum recondi. Siquidem vnus tantum is fuit, quem à templo expulit Babylas, at multi extitere, qui lucrum inde reportarũt. Quotquot enim erant, qui fidẽ suam CHRISTO nondum obstrinxissent (de ijs loquor, qui tyranni huius imperio parebant, id autem imperium bonam totius orbis partem occuparat) ij certe omnes obstupuere, admirati sunt: inde edocti quantam seruis suis libertatem CHRISTVS impertierit, deriserunt suam ipsorum illiberalem, & abiectam seruitutẽ, perspexerunt quantum inter se discrepent Christianorũ nobilitas, & gẽtilium probrum. Qui enim apud illos templorũ administrationẽ suscepere, ij reges suos colũt plusquam dominos, plusquam idola etiam ipsa quæ adorant, regúmque metu statuis ipsis assident, ita vt maligni illi dæmones honorem omnem sibi impensum impera-

toribus solis acceptum referant. Itaque vbi contingit imperatorem aliquem creari, qui cum illorũ religione non consentiat, mox ibidem si quis in idolorum templa fuerit ingressus, passim aranearum telas parietibus circunfusas videbit, & tanto situ idoli statuam obductam, vt neq; nasus, neq; oculus, neque alia quæuis totius oris pars appareat. Ex altaribus autẽ, aliorum reliquias solum superesse, maiore parte iam collapsa, alia interim tam alta vndiq; herba circundari, vt qui altaria ea esse nescit, sterquilinij aceruum quendam esse putet. Cuius rei causa hęc est. illis olim licebat quæcũque vellent suffurari, & per statuarum cultum ventri indulgere: nunc vero quamobrem sese miseri discruciabunt? assidentes enim ac se ipsi conficientes, ab illis tamẽ nullam prorsus expectant retributionem. sunt enim ligna tantum, ac lapides. verũ honore eo quem imperatores statuis ijsdem exhibẽt adducuntur illi ad huiusmodi cultum simulandũ, qui certe tollitur, dum imperatores sapiunt, dei opt. max. filium adorantes. At non ea est rerum nostrarũ conditio, sed plane contraria. Quum enim in imperatorium thronum conscendit qui nobiscum in fide, ac diuinitatis opinione consentit, hic segniores efficiuntur. Christianorũ res, tantũ abest, vt illæ per humanos honores erectæ, consistant. Rursus quũ impius aliquis imperator regnat,

qui nos vndique vrget, qui nos infinitis malis exercet,
tum eędem pretium accipiunt, atq; inclareſcunt, tum
præmiorum, ac triumphorum tempus, tum corona-
rum, præconiorum, ac virtutis omnis oſtentandæ fa-
cultas. Iam ſi quis dixerit ſupereſſe etiam nunc ciuita-
tes, eandem quam olim ſuperſtitionẽ circa idolorum
inſaniam præ ſe ferentes, is primum admodum pau-
cas numerabit. verũtamen ne hac quidem ratione of-
ficiet inſtituto à me ſermoni. Eadem enim ſuppoſi-
tio adhuc manet. nam pro imperatore, ciuitatis admi
niſtratores habẽt parem ſecum idolis honorem defe-
rentes. Atq; huius cultus cauſæ hæ exiſtunt: crapulæ,
comeſſationes tum diurnę, tum nocturnæ, tibiæ, tym
pana, &, quod liberum eſt, turpia quidem cum omni
oris impudentia proferre, turpia autem factitare, libe
rum item præ ingluuie diſrumpi, præ ebrietate debac
chari, & in probroſiſſimam inſaniam dilabi. Id genus
indecentes ſumptus continẽt adhuc, & fouent inter-
cidentem illum errorem. Nam qui opulẽtiores inter
illos ſunt, in ordinem paraſitorum cogunt eos, qui ob
ignauiam fame pereunt, quos ipſos tãquam canes ad
menſas ſuas enutriunt, eorumq; impudentes ventres
iniquarum cœnarum reliquijs differtiunt, ijſdem pro
animi arbitrio abutẽtes. At nos qui in vniuerſum mo
res veſtros iniquos, ac prorſus ratione carẽtes abomi-

namur, qui ob propriam segniciem, atque ignauiam esurire coguntur, eos non pascimus, quin potius suadendo hortamur, vt & sibi, & cæteris opera sua victũ sufficiant: qui vero mutilo sunt corpore, ijs permittimus modo, victum necessarium ab ijs, quibus facultates suppetunt, mendicare. At commessationes, ebrietates, & reliqua omnis insania, à turpido à cœtu nostro exacta, explosaq; est. pro quibus introducta sunt quæcunque grauia, quæcunq; casta, quæcunque iusta, quæcunq; probata, si qua virtus, si qua laus. Nam cætera illa quæ græci iactabũde efferũt, philosophis suis attribuẽtes, facile commonstrarunt vanam gloriam, temeritatem, & puerilis cogitationis opera esse. Neq; enim temere apud nos dolio quis accepto se ipse inclusit, neque vili, ac lacero panno obtectus, sic per forum ingressus est. Ea enim admirabilia quidem esse videntur, laboreq; multo, ac summa ærumna plena, sed indigna tamen sunt, quę laudem mereantur. Est autem diaboli astutiæ, sibi seruientes laboribus id genus addicere, vnde qui decepti ab illo fuerint, tum diuellantur, tum ridiculi omnibus appareant. Labor enim is, ex quo nullum lucrũ manat, nullam prorsus laudem meretur. Etenim existũt etiam hodie perditi quidam homines, nullis non flagitijs pleni, qui multo maiora iactitant, q̃ philosophus ille. Alij enim acutos clauos

comedunt, alij calceos mandunt, & diglutiunt: alij ad alia his longe flagitiosiora male consulti se conferunt. opera porrò huiusmodi multo sunt admirabiliora, q̃ vel dolium illud, vel panni illi viles, ac laceri, sed ea tamen minime probamus, sicuti neque illa: quinimo & istos & omnes item, qui similibus præstigijs mirabiles sunt æque, ac philosophum eũdem damnantes deploramus. Dices, magnam vero philosophus orationis libertatem apud regem præ se tulit. Videamus ergo quę sit egregia illa libertas. ánnon etiã ea dolij pręstigijs vanior sit. quænam igitur illa? proficiscẽti cum exercitu aduersus Persas Macedoni, eidemq́ philoso phum magna instantia dicere hortanti, si qua re indigeret: nulla, ille inquit, nisi quod regem rogauit sibi à sole ne obstaret. acciderat enim tum iam vt philosophus à solis radijs calefieret. hic non vos ipsos pudore suffundetis? non oculos, frontémque contegetis? non hinc facessẽtes terra vos obruetis, ob ea ipsa vobis pla cẽtes ob quæ pudore suffundi oportebat? quãto enim præstiterat veste aliqua sumpta, eáque crassiuscula ad opus aliquod se cõuertere, neq; non à rege quiddam, quod vsui foret, petere? q̃ lacero indutum pallio sedẽtem ad solis radios calefieri, paruorum, lactentiumq́ puerorum more, quos nutrices lotos, atque inunctos ibi collocant, vbi tum philosophus idem sedebat, infe

licis aniculæ gratiam flagitans. At vero admirãda for tassis ea est orationis libertas. Verum & hac quoq; nihil certe prodigiosius. Bonum enim virũ oportet publica vtilitate, facta sua omnia metiri, & aliorũ vitam emendatiorem reddere. Cæterum postulare, vt ne sibi à sole obstetur, quamnam id ciuitatem, quamnam domum, quemnam virum, quamnam mulierem cõseruauit? Age vero quodnam lucrum vocis huius libertas peperit? nam lucrũ à libera martyris nostri voce natum iam ipsi demõstrauimus, idq; vlterius progressi apertius detegemus. Tum enim Babylas iniurium imperatorem, quatenus sacerdoti fas est, puniuit. principum altos spiritus compressit: diuinis legibus dum violarẽtur opem tulit: supplicium pro iniuste occiso exegit, suppliciorum omnium grauissimũ, ijs quidem certe qui mẽte sana sunt. Meministis quidem omnino, quum de cæde ipsa verba facerem, quẽadmodum ex vobis qui audiebatis vnusquisq; intra se afficeretur, atque inflãmaretur, percussoremq; ipsum in manum capere desideraret, neq; non precaretur alicũde apparere qui cædem vlcisceretur. hoc ipsum igitur beatus ille præstitit, pœnam enim sumpsit tum se dignam, tum idoneam quæ illum corrigeret, si modo stupidus admodum non fuisset: nequaquam postulãdo, vt sibi ad solis radios calescẽti abscederet rex, neq;

à ſole obſtaret, quin potius impudẽter in templi ſepta ingredientem, atq; omnia confundẽtem, quaſi canem aliquem, aut ſeruũ improbum, à domini ſui aula ex=cludendo. Vides nunc me non iactabunde non teme=re paulo ante dixiſſe, philoſophorũ veſtrorum mira=cula à Babyla puerilis ſenſus opera reddita fuiſſe? At temperans, inquis, fuit, continentemq́; vitam egit Si=nopenſis ille, vt qui etiam legitimas nuptias non ſuſti nuerit. Sed adde, obſecro, temperantiæ, ac continen=tiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes, quin li bentius temperãtiæ laudes illi detraxeris, q̃ temperan=tiæ eius modum prodideris. adeo certe ille infamis, ac magno dedecore plenus vixit. percurrerem hoc loco & cæterorum nugas, ſtultum, ac vanum ſtudium, de=nique turpitudinem. vbi enim, quæſo, vtile à ſeminis humani guſtu non temperare? Id quod faciebat Sta=girites. quale cõmodum cum matribus, ac ſororibus miſceri? quod quidẽ philoſophus Stoæ præfectus le=ge ſanxit: percurrerem etiam academię principem, il=liusq́; diſcipulum: item & eos, de quibus maior eſt ad=miratio, his quos nominaui obſcœniores fuiſſe demõ ſtrarem: obſcœnum quoq; puerorum amorem ab il=lis in honeſtatis, ac philoſophiæ parte annumeratum, omni retecta allegoria denudarem, niſi tum nobis ad alia properantibus oratio longior hac ratione fieret,

tum omnium illorum risus, vno a nobis detecto, satis superq; redargueretur. vbi enim qui austeriorem philosophiæ partem sequi visus est, quiq; cæteros & linguæ libertate, & vitæ continentia excelluit, adeo turpis, adeo ineptus, adeo immoderatus fuisse demõstratus est (nam & humanis vesci carnibus indifferens esse dixit) quorsum attinet & de reliquis deinceps verba facere? presertim vbi qui studij, ac vitę instituti excellentia ceteris illustrior fuit, omnibus tam ridiculus, tam puerilis, tam delirus apparuit. Itaq; ad id vnde sumus digressi noster iam sese sermo conuertat. Ergo Babylas sic, vt dictũ est, tum eos qui nondum CHRISTI fidem receperãt corripuit, tum eos, qui iam receperãt, religiosiores etiamnum reddidit, non priuatos homines modo, sed & milites, & militũ duces, & prefectos: planum faciens, ipsum etiam regem, eúmque, qui infimus apud Christianos fuerit, nuda tantũmodo esse nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos tribuendus fuerit, quisquis etiam diadema gestet hũc vel infimis quibusq; æquandum. Ad hæc eorum certe ora obturauit, qui impudentia quadam abutentes affirmare vellent, quam Christiani libertatem apostolis tribuimus, eam non nisi fictam quandam à nobis iactantiam esse: re quidẽ cõmonstrans olim etiam eiusmodi viros probabiliter extitisse, dum eorum po

testatem signorum præstatio maiorẽ efficeret. existit & hinc tertium quoddam raræ virtutis facinus, atque exemplum. Futurorum enim post hac & sacerdotũ, & regum animos, horum quidẽ repressit, illorum autem extulit. Planum faciens terræ, & eorũ quæ in terra fiunt curam, ac præfecturam verius residere penes sacerdotem, q̃ penes eum qui paludamento, ac purpura indutus est: nec nõ oportere de potestatis huius amplitudine sacerdotem nihil detrahere, sed hominẽ potius exuere, q̃ authoritatem huic principatui superne à deo attributam deponere. proinde qui sic è vita decesserit, vel mortuus nemini non prodesse poterit: at qui ordinis huiusmodi desertor fuerit, non solum nemini mortuus vsui est, sed viuentium quoque quibus præest q̃ plurimos segniores, mollioresq; reddit, exteris ipse interim & vituperabilis & ridiculus. Idem etiã cum è viuis decesserit, multo cum dedecore, ac mœrore ad CHRISTI tribunal sistetur: vnde ipsum postea trahentes in caminũ ignis abducẽt potestates eæ, quibus id negocij demandatum est. quamobrem sapientis verbũ nos monet, ne personam adsumpseris contra tuam ipsius animam. Quod si dissimulare tutum non est, dum homini ab homine iniuria infertur: quo tandem supplicio dignus non erit, qui siluerit, ac contẽpserit intuitus diuinas leges iniuriã accipere? Quin-

etiam & aliud item non minus ijs quæ dixi bonũ nos Babylas docuit. quod videlicet vnumquenq; oportet suo ipsius officio fungi, etiamsi inde nullũ lucrum ad alios dimanet. neq; enim ipsi, ad imperatoris quidem emolumentũ, vocis libertas profuit. nihilo tamen secius suas omnes partes, atq; officium omnibus numeris impleuit. quũ interim qui morbo laborabat propria cõtumacia, atq; vecordia artificis peritiam offenderit, medicamento à vulnere magna cum animi indignatione amoto. tanquam enim abunde satis ad impietatẽ non esset, homicidium patrasse, & fronte perfricta in dei templum insilijsse, homicidio priori & alterũ adiecit homicidium: & quasi simul studeret posterioribus sceleribus priora vincere, nec tamen præcedentium indignitatem subsequẽtium excellentia obscurare (ea est enim diaboli insania, cõtraria etiam inter se cõstabilire) sic vtriq; homicidio eximium id largitus est, vt mutuam quandam inter se congruẽtiam haberẽt. Et erat profecto pueri cedes prior posteriori miserabilior, Babylæ autem cedes posterior priori scelestior. Anima enim, quæ peccati gustum semel fecerit, quæq; eadem nullis doloris, aut pœnitentiæ stimulis tangitur, magnũ certe auctarium morbo adijcere solet. Ac quemadmodum vsu venit, vt scintilla ignis, si forte immẽsam materiam corripuerit, statim

obuiam quanque exurat, nec ante tamen ſubſiſtat, q̄ quod reliquum eſt, id omne depaſcatur: quantoq́; plura comprehēderit flamma, tanto maius robur ad alia conſumenda concipiat: fitq́; tum vt comprehēſorum à flamma lignorū congeries lignis ijs, quæ mox flamma comprehenſura eſt, quaſi inſidias ſtruat, flamma eadem ſeſe ſemper lignorum comprehenſorum auxilio contra ea, quæ intacta adhuc manent, armante. Sic & peccati natura, vbi animi cogitationē aliquam adorta eſt, nec quiſquam eſt qui malum reſtinguat, procedens vlterius grauior certe, ac magis indomita efficitur: propterea ſæpe fit vt quę poſteriora ſunt peccata, prioribus grauiora ſint, anima ſemper poſteriorum peccatorum acceſſione ad maiorem contumaciam ac deſpicientiam ſeſe promouente, & per hæc ipſa ſuam quidē vim eneruante, peccati autem robur alente. qua vtiq; ratione complures videas in omne peccatorū genus imprudētes dilapſos, quòd flammam initio exorientem non reſtinxerint. Sic & infelix ille imperator peccatis ſuis prioribus, poſteriora grauiora adiecit. vbi enim iuuenem illum extinxit, eueſtigio ab illius cæde ad inferēdam templo iniuriam irruit, rurſus ab hac iniuria, tanquā iter ſemel cœptum continuans, ad contumaciam temeritatemq́; ſuam, ſacerdotio contumelia afficiendo inſuper ſe accinxit, vinctumq́; ferro Ba

bylam, atq; in carcerem coniectum, ita tum excruciabat ab eodem beneficij pœnas exigens: eumq; ob quæ officia admirari potius, corona insignire, ac plusquam etiam parẽtes proprios vereri conueniebat, ob ea ipsa cogebat maleficiorum hominũ vincula, vinculorum calamitates, miserias, ęrumnas sustinere. Ita, quod modo dixi, peccatum vbi initium cæpit, nec est qui id vlterius progredi impediat, cohiberi postea, ac frenari haud facile potest: equorũ insanientiũ ritu, qui quum freno ab ore disiecto, necnon & sessore ab armis excusso, atq; resupinato neutiquam tolerabiles occurrentibus euaserint, nemine illos inhibente, immoderato quodam impetu hac illac se ipsi præcipites ferũt. quo fit vt salutis nostræ hostis huiusmodi animas ad insaniam impellat, quo eas medicorum præsentia, atq; auxilio destitutas deprehẽdens concidat, & infinitis malis exerceat. Etenim qui corpore laborant, donec medicos ad se adire patiũtur, in magnã certe salutis spem ingrediũtur, vbi vero mẽte capti calcitrant, ac se morbo liberare volentes mordent, tum deniq; morbo incurabili laborãt, idq; non ob morbi ingeniũ, sed quod ab ijs destituti sunt, qui insaniam illã liberare possint. In quam insaniam & tyrãnus iste sese coniecit. Nam medicum nactus, hũc vulnus etiamnum secantem statim expulit, & à domo quàm potuit longissime exe-

git. Hic poteras Herodis tragœdiam non iam auribus tātum haurire, sed & coràm maiori sane cum petulantia, atq; immodestia spectare. quoniam quidem & maiori certe cum ostentatione, atq; apparatu diabolus rursus ipsam tragœdiam in vitæ huius theatrum agendam introduxit, pro tetrarcha regem substituēs, & pro vna causa duplex argumentum, idq; longe illo inquinatius præbēs, vt non numero tantū, sed & ipsa rerum natura, hæcce tragœdia clarior multo, atq; illustrior euaserit. Non enim hic, sicut illic nuptijs iniuria afferebatur. neq; certe ex illegitimo concubitu, sed ex scelesti puerilis cædis inquinamento, ex tyrannide crudelissima, ex legis transgressione non in vxorem, sed in ipsam sanctimoniā præstita, historiæ huius telam diabolus contexuit. Coniectus ergo in carcerem Babylas, gaudebat quidem de vinculis, dolebat autem de eius exitio, à quo vinctus fuerat. neq; enim pater, neq; item pædotriba, quum ille ex filij, hic ex discipuli flagitio, aut aduersitate celebriores fiunt, celebritatis huius voluptatem citra mœrorem capiunt. Propterea & beatus Paulus Corinthios alloquēs dicebat. Precamur autem vt mali nihil cōmittatis, nō vt nos probati videamur, sed vt vos bonum faciatis, nos autem tanquam reprobi simus. Eadem igitur ratione & admirabili viro Babylę, discipuli salus desideratior erat,

quàm expectata ex carcere merces. cui quidē gratius certe accidere nihil potuisset, q̃ si per discipulum resipiscentem huiusmodi laudibus priuari ipsum contigisset, seu vt verius dicã, si discipulus prorsus in istam morũ peruersitatē dilapsus non fuisset. Nolunt enim sancti corollas sibi ex alienis malis contexi, quod si ab alienis malis nolunt, multo minus ab ijs malis, quę ipsorum domesticis, ac familiaribus obueniũt. Quo nomine & beatus Dauid victoria parta, ac triũpho iam acto, lugebat, & lachrymabatur, quod ad calamitatē, quã ex filio receperat, & hæc item accessisset, qui exeuntibus ad conflictum militibus multa tyranni nomine mandabat, eosq́ qui ad illius cædē properabant hac oratione cohibebat, Parcite puero Absalon. quē ipsum & in prælio prostratum lugebat, non sine fletibus, lachrymisq́ amaris inimicum reuocans. Quod si naturalis pater tam propēso est erga liberos suos affectu, certe multo magis id de spirituali patre fatendũ est. Parētibus enim spiritualibus liberorum suorum maior cura inest, q̃ naturalibus, Paulo ita attestante. Quis infirmatur, & ego non infirmior? quis offendiculum patitur, & ego non vror? Sed hoc quidē æqualitatem nobis repręsentat, quanquam certe vix patres in hanc ipsam vocem erumpãt. Veruntamen demus & illos hucusq́ affectu accedere posse: nos enim spiri

tuales patres maiora etiam præſtare oſtendemus. At hoc ipſum vnde? Ab iiſdem iterum viſceribus, & à legiſlatoris Moſis verbis. Ille vero quid dicit? Si dimittis eis peccatum, dimitte: ſin minus & meipſum ex libro quem ſcripſiſti dele. nullus ſane eſt pater, cui alioqui bonis infinitis perfrui liberum ſit, qui tamen malit vnà cum liberis ſuis pœnis affligi. At apoſtolus, vt qui in gratiæ ſtatu verſatus fuerat, paterni huius affectus intentionẽ addidit, propter CHRISTVM. Non enim Moſis exemplo cũ illis pœnas dare malebat, ſed vt aliis bene eſſet, ſibi ipſe excidiũ imprecabatur, quũ diceret, Optarim anathema eſſe à CHRISTO pro cognatis meis fratribus ſecundum carnem. Tanta certe miſericordia, atq; affectu olim ſanctorum animi abundabant. Vnde & Babylæ noſtri viſcera magis excruciabantur, quod imperatoris exitium magis, ac magis inualeſcere intueretur. Neq; enim ſolum templi cauſa ſtomachatus, ſed beneuolentia quadam erga imperatorẽ adductus id fecit, quod illum feciſſe diximus. Etenim hic dum diuina ſacra contumelia afficeret, illis quidem detrimenti nihil afferebat: quin potius ſemetipſum infinitis malis implicabat. quapropter pater filij amore tactus, illum intuitus illata ſacris contumelia furore percitum præcipitem ferri, immoderatum illum impetum cohibere conatus eſt, eũdem à ſe

obiurgatū quasi quendam effrenem equum retro in-
hibere properās. At non sustinuit infelix ille, quin po
tius morso freno prorsus obsistens, seq; & furori, &
insaniæ, rationis gyro relicto, dedens, in extremi exitij
voraginem coniecit, Babylam è carcere eductum, iu-
bens vinctum ad mortis supplicium abduci. Atq; hic
quæ fierent ijs, quæ cernerentur minime respondebāt.
Qui enim vinctus videbatur ab omnibus simul vin-
culis liber erat, tam ferreis, q̄ alijs item grauioribus. cu
ras hic intelligo, ac labores cæteraq; mala omnia quæ
nos in hac mortali vita circunsistunt. contrà qui liber
à ferro, & adamante videbatur, alijs quibusdam com-
pedibus longe grauioribus vinctus erat, peccatorum
scilicet catenis irretitus. Sanctus igitur Babylas mor-
ti se propinquum dum videret, corpus suū vnà cum
ferreis illis catenis sepeliendum mandauit, planum fa-
ciens, quæ ignominiosa videntur, ea quoties propter
CHRISTVM fiūt, honorifica esse, ac splendida, eūq;
qui ea patitur non solum non dissimulare, sed inde si-
bi placere oportere. hac quidem in parte beatum Pau
lum imitatus, qui sursum, ac deorsum stigmata, vin-
cula, catenam versabat, ob ea ipsa gloriabundus, ac si-
bi placens, quorum alios puderet. Quod autem alios
puderet, id ille nobis ea defensione declarauit, qua ad
Agrippam vsus est. Nam Agrippæ dicenti, Parum

abest Paule, quin me Christianum efficias, respondit Paulus, Vtinam vel paruo, vel multo tēpore non solum tu, sed & qui hic circunstant omnes Christiani fierent: exceptis hisce vinculis. quæ vincula non vtiq; adiecisset: nisi res ea ignominiosa vulgo visa fuisset. Sancti enim dominum vere quum amarēt, afflictiones pro illo magna cū alacritate suscipiebant, per quas etiam clariores euadebāt. vnde & Paulus ait, Gaudeo in afflictionibus meis. Lucas autem & de reliquo apostolorū cœtu eadem hæc testatur: post multa, inquit, flagella recedebant gaudētes, quod digni habiti essent pro CHRISTI nomine ignominia notari. Igitur vt ne quis gentilium existimaret certamina, ac dedecora vi, ac necessitate à nostris sustineri, ipsa certaminum symbola iubet Babylas vna cū cadauere suo inhumari, ostendens sibi illa pergrata, & peramica esse, pro ea quidē charitate, qua totus in CHRISTVM appensus erat. Et extant etiam nūc cum Babylæ cineribus compedes, ecclesiarum præfectos omnes commonefacientes, vt vinciri, vt iugulari, vt quiduis pati oporteat, certe omnia prompto, atq; alacri animo, ac magna item cum voluptate sustinenda, vt concreditæ nobis libertatis ne leuissimam quidem partē prodamus, aut contaminemus. Et quidem beatus ille in eo splendore, atque honore mortem cum vita cōmutauit. Enimuero

existimaturus est fortasse quispiam hoc loci orationi nos nostræ finem imposituros, neq; enim vita hac finita, laudatorum operum, aut virtutis ostentandæ instrumenta suppetere. quemadmodum neque athletis post ipsum certaminũ tempus exactum corollas contexi conuenire. Verum ea quidem est gentilium non ab re opinio, quorum spes vltra hãc mortalem vitam haudquaquam prorogatur. At nos quibus vitę huius exitus illustrioris vitæ alterius initium est, ab hac suspicione, atq; opinione lõge absumus. quam sane opinionem rectam esse, apertius à nobis alibi commonstrabitur. Interim & quæ virtutis eximiæ opera post Babylæ clari martyris obitũ obuenere, talia sunt, quæ firmã orationi nostræ fidẽ facere possint. Posteaquã enim pro veritate tuenda ad mortem vsq; decertauit, & ad proprij sanguinis effusionem vsq; contra peccatum depugnãs restitit, atq; vt ne ordinem eum, quem à magno rege acceperat, desereret, ipsam etiam animã deseruit, nullo non generoso, atq; egregio bellatore illustrius occumbens, animam quidẽ ipsius cælum habuit, corpus autem (quo tanquam ministro ad virtutis opera præstãda vsus fuerat) terra, & breuiter mundus athletam diuisit. Atqui poterat Babylas, vel exẽplo Enoch trãsferri, vel Helię modo rapi, vt qui vtriusque ęmulator fuerat. At deus qua est in humanum

genus clementia inter alias, quas infinitas nobis ſalutis noſtræ occaſiones largitus eſt, & hanc quoq; viam nobis à ſe paratam voluit, idoneum ad virtutẽ capeſſendam ſtimulum, relictis ſcilicet interim apud nos ſanctorũ reliquijs. Nam poſt viuæ vocis facultatem, ipſa certe ſanctorum ſepulchra proximũ locum obtinent ad animas hominum in ipſos ſanctos intuentium ad virtutum earundem æmulationem excitandas. Ac ſicubi quis huiuſmodi monumẽtis adſtat, ſuum ſtatim ſenſum ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit. capſulæ enim aſpectus in animam inuadẽs ipſam percellit, & exuſcitat, ac perinde afficit, quaſi qui illic mortuus iacet, preces ſimul fundat, præſenſq; adeſſe cernatur. deinde fit, vt qui ſe ſic affectum ſentit, mira alacritate geſtiens, aliusq; prorſus quodammodo effectus, ita ex eo loco decedat. quiſquis porro animũ aduertere volet ad eos, qui mortuos luctu proſequũtur, probe inde edocebitur, imaginationẽ de mortuis conceptã ſolere ex ipſis locis in animos inſinuare. qui vbi mortuorum ſepulchris aſtiterunt, protinus quaſi ibidem ſepultos coràm ſtantes contueantur, ſic eoſdem in ipſo ſtatim veſtibulo inclamant: pleriq; autem intolerabili dolore vexati reliquũ vitæ tempus ad demortuorum monumenta habitare ſibi in animũ induxerũt. Id quod nequaquã feciſſent, niſi à locorum aſpe-

ctu consolationem quãdam cæpissent. Et quid hic de locis, ac sepulchris verba facio? quum & sæpe vestis sola mortuorum visa, & verbum vnum in mentem influẽs animum nostrum excitet, & memoriam interlabẽtem refricet. quibus de causis ipsas nobis sanctorum reliquias deus reliquit. Iam quod hęc dicam non temerariæ cuiusdã iactantiæ causa, sed quod id ipsum emolumenti nostri gratia factum fuerit, abunde orationi nostræ fidem faciũt tum quę quotidiana a martyribus miracula ædũtur, magna affatim ad illa hominum multitudine affluente: tum illis nihilo inferiora Babylæ præclara post eius obitũ virtutis egregię specimina. vbi enim ita vt mãdauit sepultus fuit, & tam lõgum temporis interuallum ab eius sepultura intercessit, vt non nisi ossa, ac cinis in feretro superarẽt, placuit imperatori vni ex ijs, qui postea imperarunt, deo ipsius animũ ad id impellẽte, capsulam in suburbium istud Daphnem abduci. Quum enim deus vidisset locum illum adulescẽtum intemperantia, quadam quasi tyrannide obsessum, in periculum venire, ne prorsus ab ijs destitueretur, qui grauiores essent, quiq; in honestate, ac modestia vitã degere in animo haberẽt, loci incõmodum, ac noxam miseratus, misit qui contumeliam vindicaret. Etenim ipsum Daphnes locũ pulchrũ, atq; amœnum deus esse voluit, simul aqua-

rum copia, ac pulchritudine, ſimul terræ ingenio, ſi-
mul cæli atque aeris temperie, non quidem vti ſolum
inde oblectamentum, ac leuamẽtum captaremus, ſed
vti his de rebus ſe optimum opificem laudaremus. Sa
lutis autẽ noſtræ hoſtis (cuius ea eſt natura, vt dei mu
neribus in opus contrarium ſemper abutatur) locum
eundem quũ præoccupaſſet, qua corruptorum iuue-
num turba, qua malorum ſpirituum habitaculis, affin
xit inſuper & infamem quãdam fabulam, per quam
ſuburbij decor omnis, ac gratia dæmoni accepta refe-
rebatur. Fabula porro ſic habet. Daphnen aiunt ad-
huc puellam Ladonis fluuij filiã (antiquis enim mos
is receptus fuerat, vt & fluuij gignerent, & quæ à flu-
uijs genita eſſent in res poſt modũ ſenſu carentes mu
tarentur, & pleraq; id genus prodigioſa effingerẽtur)
Daphnen inquam puellam forma admodũ præſtan-
tem fuiſſe volunt, quam quum vidiſſet Apollo, illius
ſtatim amore deflagrauit: hæc vero deum curſu ſe ca-
pere cupiẽtem fugiẽs, in ſuburbium iſtud quum per-
ueniſſet, ibidem ſubſtitit, mater porro vim patienti fi
liæ opem ferre volẽs aperto gremio virginem ſtatim
recepit, ac pro puella eiuſdem nominis plantulam red
didit. hic perditus amator amoribus ſuis fraudatus ar
borem circumplexus, tum plantam, tum locũ ſibi ven
dicauit, propriumq; fecit. In quo poſtea quum aſſi-

duus commoraretur, eum præ alijs omnibus diligere, atq; amare cæpit. postremo qui tum rex erat Apollini templum, & aram extrui iussit, quò posset dæmon suam ipsius insaniam per eum locũ consolari. Et hæc quidem vetus fabula. at incommodum à fabula exortum non iam fabula fuit. Posteaquam enim iuuenes permulti impudici illuc accedentes, suburbij pulchritudinem contaminarũt, ibidem comessationibus, atque ebrietatibus vitam agentes, volens diabolus malũ hoc magis, ac magis gliscere, fabulam eam, quam recitaui, confinxit, dæmonem loci eius incolam esse diuulgãs, vt eiusmodi historia maius illis impudicitiæ, atq; impietatis incendium fieret. Proinde ad tanta isthæc mala tollenda, inuenit imperator sapientissimũ id remedium. Sanctũ Babylæ martyris corpus eum in locũ si transferretur, existimauit perinde fore, ac si medicus ad laborantes mitteretur. Enimuero si iter id, quod ab vrbe ad suburbium ferret, authoritatis regiæ mandato impediret, atq; interdiceret, iudicauit mandatum id omnibus vulgo visum iri tyrannicũ quoddam, agreste, ac crudele factũ. Quod si mandato adderet, vt qui honesti ac moderati essẽt, ijs suburbij adeundi potestas fieret: qui vero incontinentes, atq; intemperantes, ab eo arcerẽtur, mandatum perplexum, ac difficile censuit, vtpote per quod præuidebat quo-

tidianas cenſuras in dijucanda vniuſcuiuſque vita neceſſarias. Itaq; martyris pręſentiam malorum horum omnium finem, ac remedium fore exiſtimauit, quem quidem idoneum intelligebat, qui tum dæmonis potentiam antiquaret, tum iuuenum luxum emẽdaret, qua vtique ſpe nequaquam falſus eſt. Nam vbi quis Daphnæ appropinquat, viſo ſtatim martyris monumento vel ab ipſo ſuburbij veſtibulo, cõpeſcitur, atq; emẽdatur, more adoleſcentis alicuius in conuiuio accumbentis, ac pædagogum aſtantem contuentis, eundemq; vultus ſignificatione iubentem, vt decenti ordine ſeruato bibat, edat, loquatur, rideat, cauens necubi modum ſupergreſſus ſuam ipſe exiſtimationẽ dehoneſtet. viſo ergo ille procul martyris monumento factus inde animo religioſior, ad capſulam ipſam con tinuo accurrit, ad quam cumprimum peruenit, maiorem animo trepidationem recipit, mox abiecto omni contemptu tanquã volatilis effectus, ita ab eo ſe loco domũ recipit. Idem etiam eos qui ab vrbe in ſuburbium aſcẽdunt de via excipiens, huiuſmodi cum temperantia deducit ad Daphnes laxamẽtum, tantũ non vocem illam inclamãs, Exultate domino in tremore. & apoſtolicum illud adijciens, Siue comeditis, ſiue bibitis, ſiue aliud quoduis facitis, ad dei gloriam omnia facite, qui idem ſi incidat in quoſdã delitijs delibutos

ex ſuburbio ad vrbem ſe recipientes (ſi quibus forte vſu venerit, vt quadam quaſi animi ſocordia frenum abijciant, atq; in crapulam, in abſurdas quaſdam delitias præcipites ferantur) hos ebrios in ſuum diuerſorium excipiẽs, non permittit ebrietatis noxam geſtantes, domum abire, quinimo timore incuſſo refrenans, ad eandem reducit ſobrietatem, qua præditi erant, antequã ebrietate madefierẽt. Etenim quaſi tenuis quædam aura eos, qui martyris ædem iam introgreſſi fuerint, vndiq; circunſpirans afflat, non ea quidem ſenſibilis, nec quæ ad augendã corporis vim faciat, ſed quæ in ipſum tantum animum obrepat, eundemq; vndiq; decenter compeſcens, ac terreſtrem omnem ſarcinam circuncidens reficiat, atq; ingraueſcentem iam & fractum agiliorem reddat. & quidem Daphnes forma, ac pulchritudo ſegniores, ac ſalutis propriæ negligentiores ad ſe ipſa euocat: at martyr quodã quaſi in piſcatu cõſidens, & ad ſe introgreſſis inſidias parans, eos cohibet, ac veluti ad normam quandam primũ componit, atq; ita tandem dimittit, id reportantes, vt ipſa amica in poſterum pudice, ac citra omnẽ incontinentiam ſint vſuri. dum enim ex hominibus alij ſocordia adducti, alij vitæ ſolicitudinibus impediti ſanctorum martyrum monumenta inuiſere negligunt, perfecit deus, vt hocce irretirentur modo, & talem ipſi fructũ

curationis animæ caperent.ac perinde fit,ac ſi quis æ-groto medicamenta ſalutifera admittere nolenti,me-dicamentũ dulci quodam condimento oblitum præ-paret.qui igitur inibi tandem curantur,eò perueniũt, vt iam non deliciæ ſolum,ſed & viſendi ſancti deſide rium ſuburbij adeundi occaſionem multis afferat, ſi-ue vt verius dicam,qui honeſtioris vitæ ſunt,hoc vno nomine illuc vẽtitant,qui infirmiores illis ſunt,vtro-que nomine:qui vero infirmiſſimi, nõ alio,q̃ delicia-rum captandarum nomine. poſteaquam autem illuc peruenerunt, eos aduocans ad ſeſe martyr, ſuis ipſius epulis ſplẽdide exceptos, fortiq́ꝫ armatura præmuni-tos non patitur in malum aliquod prolabi.Et eſt per-inde mirum eo in loco mollem aliquem,ac ſocordem reſipiſcere, & tanquam è media inſania ſanum caput attollere, vt ſi quis in medios ignes coniectus ab igni detrimenti nihil accipiat. circunuallata enim rationis arce ab iuuentute,ab effrenata audacia, à vino, à ſatu-ritate moleſtius etiam,q̃ à flamma ipſa, beati Babylæ ros in ſpectãtium animã ex obtutu ipſo influẽs flam-mam ipſam ſopit, incendium ſiſtit,ac magnam certe animi religionem inſtillat. Atque in eum,quem dixi, modum,Babylas intemperantiæ tyrannidem ſubuer tit. At quo idem modo & dæmonis poteſtatẽ extin-xit? Primum quidem tum dæmonis inibi habitantis

obſidionem, tum fabulæ noxam ijs ipſis, quas dixi, rebus inefficacem reddidit: deinde & dæmonem ipſum exegit. Verum antequam ad exactionis modum veniam, illud vos annotare poſtulo, Babylam nõ ſtatim vbi aduenit, dæmonẽ eieciſſe, ſed manentẽ eum otioſum, inertem, agendisq; rebus ineptum reddidiſſe. Illi enim os ita obſtruxit, vt vel lapidibus ipſis magis mutus redderetur. Et quidem manentẽ inibi dæmonem ſuperauiſſe, non minus fuit, q̃ ſi eundem de loco exegiſſet, quũ qui loci illius accolis omnibus fucum prius faceret, ne extincti quidẽ Babylæ cineres contueri auderet. Ea eſt enim ſanctorum poteſtas, vt illorum ſuperſtitum dæmones ne vmbras quidẽ, aut veſtes ferre poſſint, vita autem functorum & loculos quoq; reformident. Itaque ſi quis quæ ab apoſtolis facta fuiſſe prædicantur fidem non habet, is tandẽ memoriæ huius miracula intuitus ab impudẽtia ſua deſiſtat. Nam qui de omnibus olim gentilibus victoriã reportabat, à martyre tanquam ab hero increpitus ſuppreſſa voce latrare deſijt. Ac primum quidẽ videbatur mutum agere, q; ſacrificiorum, & aliorum id genus cultuum particeps minime fieret. Dæmonum enim mores ij ſunt, vt dum mortales nidore, fumo, ſanguine eos inuitant, & allectant, tanquã canes cruoris auidi, & helluones, ebibẽdi, abſorbendiq; eius cauſa pręſto adſint,

rurſus dum nemo eſt, qui ea offerat, quaſi fame aliqua pereant. Quibus certe ſacrificia dũ fiũt, ac fœda dum celebrantur myſteria (quæ ipſa nihil certe aliud ſunt, quàm amores quidam obſcœni, q̃ puerorum contumeliæ, q̃ adulteria, q̃ domorum ſubuerſiones, vt nihil hic agam de inhumanis cædium generibus, deq; nefarijs illorũ cœnis) quibus inquam fœda dum celebrantur myſteria, ſtatim aduolant, & delectantur, etiamſi malefici, etiamſi præſtigiatores, etiamſi peſtes hominum ſint, qui myſteria eadem peragant. Imò vero, vt verius dicam, non alios plane habent, q̃ quos depinxi, ſacrorum ſuorum adminiſtros. qui enim temperans, modeſtus, caſtus eſt, is nec comeſſationem admittet, nec temulentiam, nec dictu fœdum aliquod verbum ipſe proferet, nec alteri cuiquam id genus fœditatibus inſeruienti aures ſuas accõmodabit. quanquam oportebat, ſi quam illi humanæ virtutis curam gererent, ſi quam felicitatis aſſeclorum ſuorũ rationem haberẽt, nihil potius requirere, q̃ vitã optimam, q̃ mores recte emendatos, prætermiſſis illis indecoris dapibus, quibus tamen (quando nihil habẽt antiquius hominum exitio) magnopere delectãtur, ijſdem coli ſe profitentes, quibus tum noſtra mortaliũ vita ſubuertitur, tum honeſtas omnis radicitus diuellitur. Primũ igitur videbatur hic dæmon hac, quã dixi ratione obmuteſce-

re. Post autẽ conuictus fuit, violenta necessitate præpeditus id facere. metus enim, quo quasi indito in os freno cogebatur, impedimento illi fuit, quo minus solita contra homines impostura abuteretur. vnde hoc liquet? Sed ne tumultuemini. Id enim commonstrabo, atq; ita demum cõmonstrabo, vt ne illis quidem, quibus maximę curæ semper fuit impudenter omnia asseuerare, in posterũ ea impudentia abuti liceat, quoties sermo inciderit, vel de veterũ illorum dęmonum, vel de istius dæmonis infirmitate. Neque enim mihi cõiecturis opus est, neq; id attinet planum facere probabilibus quibusdam rationibus, sed ipsum dæmonis hac de re testimonium adhibebimus. Ipse enim lethalem vobis plagam inflixit, vestramq; omnem audaciam præcidit. At vos ne illi succenseatis: neque enim prudẽs, sed à maiore quadam potestate coactus tyrannidem ipse suam deleuit. Id vero qua tandem ratione factum est? Mortuo eo imperatore qui Babylæ corpus in suburbium transtulerat, huius fratrem ad imperij administrationem promouit is idem, qui illum imperatorem fecerat. atq; hic sine diademate imperium excipit: hactenus enim demortui quoq; fratris potestas præscripta erat. Idem hic imperator quum impostor, ac scelestus esset, primũ propter eum, à quo principatum acceperat, Christianum se esse simulauit, de-

inde eo vita functo, abiecta in posterum persona, nu=
dato capite, quam antèa superstitionem intus cælaue=
rat, hanc in medium productam nemini non manife
stam fecit, diuulgato per vniuersum terrarum orbem
mandato, vt idolorum templa instaurarentur, aræ ex=
citarentur, pristini dæmonibus honores redderentur,
magni item illis prouẽtus varijs ex locis suppeterent.
Quo ex mandato magi continuo, incantatores, augu
res, haruspices, menargitæ, hoc est menstrui viatores,
seu præcones, denique omnifariæ imposturæ artifices
vndecunq; ab vniuerso orbe confluxerunt. hic cerne=
re certe licebat regiã ipsam infamibus, abiectis, ac pro=
fugis hominibus refertam. Nam quotquot vsquã fa
me tabescẽtes, quotquot ob veneficia, ac maleficia cõ=
uicti, quotquot publicæ custodiæ addicti, atq; ad me=
talli opus detrusi, deniq; quotquot sordidarũ artium
artifices vix inde victitare possent, quum se ipsi de re
pente sacerdotes esse profiterentur, mirum est quan=
to in honore, quanto in pretio habiti omnes fuerint.
Hic imperator duces ipsos, ac militum præfectos cõ=
temnere, assis vnius non æstimare, contra mares meri
torios, & meretrices è fornicibus suis excitatas vnà se=
cum per totam vrbem, per angiportus omnes circun=
ducere. quum interim regius quidem equus, omnesq;
prætoriani ponè multo interuallo sequerentur, leno=

nes autem, & meretriculæ antambulonũ loco, & vniuersus meritorium adulescentum chorus regem medium stipantes per forũ inambularent, clamores eos, ac cachinnos attollentes, quos par erat eiuscemodi farinæ homines attollere. quæ ipsa certe non nescimus talia, tamq; absurda fuisse, vt posteris fide maiora futura sint. neq; enim quisquam ex priuatis, vel ijs etiam qui humile, pudendumq; viuendi genus instituerint, velit tam turpis, tamq; indecens publice videri. Sed enim ad eos sane, qui adhuc vita sunt superstite, oratione nulla opus est. qui enim adfuere, & ea dum fierent spectauere, hi & quę hic à me dicũtur, nũc exaudiunt. propterea enim superstitibus etiam nunc testibus hęc scribo, vt ne quis vetera recẽsentem me, inter eos, qui rei testes oculati non sint, magna licentia mentiri existimet. Ex ijs enim qui ea viderunt, superãt adhuc & senes, & iuuenes, quos omnes obsecro, & obtestor, si quid à me historiæ adiectum fuerit, in mediũ prodeant, meq; redarguãt. sed scilicet tãtum abest, vt me de meo adiecisse quicquã sint redarguturi, vt deprehensuri etiã sint, multa certe à me prætermissa: neq; enim fieri potuit, vt oratione turpitudinis illius immẽsam magnitudinem repræsentarem. posteris vero, qui crediturі isthæc non sunt, vnũ id dictum esse velim, dæmonem vestrũ, quem venerẽ appellatis, nequaquam

pudere id genus adminiſtris vti. Itaq; mirum nemini eſſe debet, ſi miſer ille, qui prorſus dæmonũ ludibrio ſeſe addixerat, ea minime diſſimularet, propter quæ dij ij, quos coleret, magnopere ſibi placent. Iam vero quis enumerauerit necromantias? quis puerorum cædes? nam victimæ illæ à quibus homines ante CHRISTI aduentum non abſtinebant, poſt eius apparitionem repreſſæ, deintegro renouabantur, non iam quidem in propatulo, nam tametſi imperator eſſet, ac licentioſe omnia ageret, tamẽ tanta erat rerum earum impietas, vt ea imperatoriæ etiam licentiæ magnitudinem ſuperaret: victimę inquam illę deintegro tamen renouabantur. Daphnen itaque idem hic imperator prudentiam vultu prę ſe ferẽs conſcendit, multis quidem cũ donarijs, ac ſacrificijs, manante etiam ſanguinis torrente, quem mactatarum pecudum cædes effecerat. Tum à dæmone magna inſtantia oraculum poſcit, poſtulans, ſibi vt ille ijs de rebus reſpõſum daret, quas animo agitabat. Ibi ſtrenuus ille ſcilicet, qui pelagiq; modum, & numerũ qui nouit arenæ, qui mutum capit, & ſurdum qui intelligit idem, vt de ſe ipſe profitetur, belle admodũ cauit, ne in eum ſermonem deueniret, vt aperte teſtaretur per ſanctum Babylam, ac vicinorum virtutem obſtructũ ſibi eſſe os, ac propterea loqui nequaquã poſſe, nimirum veritus, ne cul

toribus ſuis ridiculus fieret. Cæterum quum idem adumbrare vellet virium ſuarum à Babyla deuictarum calamitatem, eum taciturnitatis titulum aperuit, per quem ridiculus magis reddebatur, q̃ ſi prorſus tacuiſſet. tacens enim imbecillitatem tantũmodo ſuam detexiſſet. nunc vero & imbecillitatem, & turpitudinẽ, & impudẽtiam declarauit, ſtudens ea adumbrare, quę adũbrari minime queunt. quis enim color hic eſſe poteſt? Daphnes, ĩquit, locus cadaueribus ſcatet: id quod oraculum auertit. At quanto præſtabat peſſime dæmon, martyris virtutem non diſſimulare, q̃ titulum, tam impudẽtem prætexere? Et hæc quidem dæmon. Imperator autem mente alienata quum eſſet, perinde ac in ſcena ludens, fabulamq́ agens eueſtigio ad beatũ Babylam fertur. quanquam ô nequã, ac nequiſſime, niſi vobis ipſi vltro mutuo verba daretis, inq́ aliorũ exitium colluderetis, quam tãdem ob cauſam, tu quidem ſuppreſſis nominibus, atq́ indefinite de cadaueribus loqueris, tu vero quaſi certi alicuius cadaueris nomẽ exaudiſſes, alijs intactis Babylę vnius cadauer mouendum tibi ſumis? oportebat enim iuxta dæmonis ſentẽtiam cõditoria ea omnia, quæ in Daphne eſſent, effodere, & terriculum à deorum aſpectu q̃ longiſſime abducere. At non de omnibus, inquis, mortuis dæmon verba fecit. Cur igitur, id non aperte profeſſus

eſt? nempe tibi impoſturæ fabulã agẽti ænigma iſtud relinquit. Equidem cadauera, inquit, tibi dico, vt ne palam fiat me victũ eſſe, nam & alioqui reformido Babylam nominatim deſignare: at tu intelligito quod à me dictum eſt, atq; vnum pro omnibus martyrem amoueto. Ille enim eſt, per quem muti efficimur. Tantæ certe demẽtiæ dæmon cultores ſuos à ſe damnatos eſſe voluit, vt tam apertam impoſturã capere nequirent. nam etiamſi mente alienata, atque inſana omnes fuiſſent, tamen ne ſic quidem ignorare debebãt, ꝙ victum ſeſe dæmon fateretur, tam ea res manifeſta, tam aperta futura erat. Nam ſi hominum cadauera inquinatum quiddam (quod tu eſſe vis) & execrabile ſunt, multo magis brutorum cadauera, quanto brutorum genus humano genere contemptibilius eſt. Multorũ vero canum, ſimiarum, aſinorũ oſſa prope templum defoſſa ſunt, quæ potius mouenda fuerant, niſi forte cenſes homines ſimijs eſſe viliores. Vbi nunc ſunt qui ſolem bellum dei opificium, & ad noſtrum miniſterium creatũ contumelia afficiunt, & dæmoni aſtrum attribuunt, & hunc illum eſſe affirmant? Sol enim, in tanta etiam cadauerũ in terra iacẽtium copia, per vniuerſum orbem diffunditur, nec vllo loco, neq; radios, neq; radiorum ſuorum efficaciam propter ipſas locorũ inquinationes contrahit. At deus veſter impuram

hominum vitam, imposturas, cædes non modo non auersatur, aut odit, sed diligit, amplexatur, amat. corpora autem nostra deuitat. quanquam peccati genus tale esse solet, vt vel apud ipsos authores in summam etiam reprehēsionem veniat. corpus autē mortuum, & quod minime mouetur, omni reprehēsione, ac criminatione vacat. Sed scilicet istud est vestrorū deorū institutum, vt abominentur quæ abominãda nequaquam sunt: colãt ijdem, & approbēt quæ omni odio, & auersatione digna sunt. Et bonus quidem vir quisquis est, neq; à sano aliquo consilio vel dando, vel capiendo, neque ab opere necessario faciundo per mortuum corpus prohibebitur, imò si animo sano est, vel ad ipsa sepulchra inhabitans, & temperantiam, & iustitiam, & omnem deniq; virtutem præstabit: pręterea'q; artifex suæ quisq; artis opera absque vllo impedimento facturus est, ijs'q; qui ipsum rogauerint præbiturus: non solū cadaueribus propinquus adsidens, sed etiamsi ipsa mortuorum monumenta extruere opus sit, & pictor, & latomus, & faber tam lignarius, q̃ ferrarius, denique omnes sua ipsorum opera conferunt. vnus autem omniū Apollo per cadauera impediri se ait, quo minus futura prospiciat. Atqui & apud nos magni, & admirabiles viri extitere, qui res futuras ante quadringentos, ante etiam mille annos q̃ euenirent,

prædixerunt: quod dum facerent nullam prorſus harum excuſationũ, vel quæſierunt, vel cauſati ſunt: neque mortuorum ſepulchra perfringi, neq; eos qui intra ea iacerent abijci, neq; nouum & impudentem effodiẽdorum cadauerum modũ excogitari iuſſerunt. Attamen ex eis nõnulli, impijs ac ſceleſtis gentibus vicini quum habitarẽt, vel in medijs ipſis barbaris, quorum omnia conſpurcata, ac polluta erant, vere futura vaticinati ſunt, neque illis ad vaticinationem, aliorum obfuit conſpurcatio. Quid ita? ꝙ quæ illi dicebant, ea re vera per diuinæ virtutis opus dicebant. Dæmon autem quum prorſus in eo diuina vis nulla eſſet, de futuris nihil habuit, quod imperatori prædiceret. Cæterum ne hæreat, perplexusq; eſſe videatur, cogitur veriſimilia quædam, & ridicula ſimulare. Quamobrem enim, quæro ex te, ſuperiori tempore nunquam tale quiddam elocutus eſt? quãdoquidẽ tum velamen hoc prætendere poterat, ſui cultũ ab hominibus intermiſſum eſſe: hac autẽ idem excuſatione ſibi adempta ad cadauera confugit, anxius animi quorſum euaderet. Nam à decoro ipſe ſuo recedere nolebat. Verum ipſi vos illum coegiſtis, qui cultus excuſationem ei ademiſtis, neq; locum illi feciſtis ad ſacrificiorum penuriam cõfugiẽdi. Hæc igitur vbi audiuit fabulæ iſtius actor imperator, iubet ſtatim capſulam deturbari: quò om

nibus dæmonem victum esse innotesceret. Etenim si dixisset ille: per sanctum Babylam loqui impedior, sed hunc tamen ne loco suo moueatis, néve illius capsam vlterius obturbetis, nimirũ ea res dæmonis modo cultoribus innotuisset, illos enim puduisset factũ id ad alios deferre. Nunc vero quasi ipsius infirmitatem traducere adlaboraret imperator, sic nihil non fieri coegit, quo ne volenti quidem factum adumbrare licebat. Neque enim iam simulatio salua, & integra esse potest, propterea ꝙ non alius mortuus, sed solus Babylas illinc translatus est. nec solum qui vrbem, & suburbium, & agros item incolebãt, sed qui remotissime etiam habitabant in rem præsentem quum veni rent, capsulamq́ꝫ non amplius illic esse viderent, quæsita causa statim edocebantur, dæmonem ab imperatore rogatũ vaticinari, respondisse, id se præstare non posse, nisi beato Babyla prius à se procul amoto. quãquam ô perridicule dæmon licebat tibi ad alias confu gere excusationes, cuius modi multis idẽtidem vteris, infinita semper rebus in dubijs artificiose excogitans, alias Lydorum regi promittens magni imperij perdi tionẽ Alym fluuium transgresso: hunc ipsum tamen regem postmodum super accensam pyram positum commõstrans. alias in Salamine hac eadem arte vsus, quũ tu perridiculam illam addidisses coniũctionem.

Nam quod dixisti, mulierum pignora perdes, simile fuit illi, quod Lydorum regi dixeras. quod autem adiecisti vsquam vel carcere sparsa, coeūte vel vsquam, maiore id certe risu dignum fuit, ac prorsus simile ijs, quæ à circulatoribus in triuijs vulgo iactantur. At tibi ne istud quidem facere placuit. Licebat & tibi sermonem tuum obscuritate velare (nam & hoc tibi artificium solenne esse solet) at vero institissent omnes iterum non intellectæ vocis solutionē quærentes. Tibi etiam licebat ad astra confugere, id enim tute persæpe nullo rubore, nullo pudore facis. neq; enim tibi res est cum viris mente præditis, sed cum pecudibus, atq; adeo cum longe crassioribus, q̄ sint pecudes ipsæ. non erant vtiq; qui tum te consulebant græcis sapiētiores ancipitia respōsa tua audire solitis, ab errore tamen se se non eximētibus. At vero mendaciū intellexissent. Te igitur oportuit vni tuo sacerdoti veritatē denunciare, qui quòd victus esses melius, q̄ tute multo adūbrare nosset. Nūc vero quis te miser adduxit, vt te in tam manifestā impudentiam obtruderes? Sed tu fortasse peccasti nihil. Imperator vero perperam fabulæ subseruiuit. Indefinite enim quum de cadaueribus audijsset, ad Babylam solū adiens, te ille coarguit, & imposturam tuam denudauit. Sed ne ille quidem volens id fecit. neq; enim vnius, eiusdemq; erat tot, ac tanta

tibi donaria honoris gratia offerre, & temet rursus infamare. Sed enim simul omnium oculis martyris virtus tenebras offudit, neque passa est illos ea intelligere quæ fierent: quæ omnia fiebant quidem, quasi contra Christianos, risus autem non in eos qui ea paterentur, sed in eos qui ea facerẽt totus vertebatur. quod ipsum vsu venire videmus, quum qui furore correpti sunt in ipsos etiam parietes calcitrantes, & fanda, ac nefanda in præsentes conuicia iactitantes sibi ipsi videntur vicinos belle vlcisci, quum factis talibus non illos, sed se ipsi dedecorẽt. Id quod & tum certe euenerat. Trahebatur enim capsula per totã viam: reuertebatur autem martyr athletæ alicuius exẽplo coronam alteram in suam vrbem ferens, in qua & priorem coronam reportarat. Quamobrem si quis est forte, qui mortuorum resurrectionem neget, quum videat martyris nostri facta illustriora post obitum esse, in posterũ erubescat. qui martyr strenui alicuius bellatoris more trophеis trophea coniunxit, magnis maiora, & mirabilibus mirabiliora. Tum enim certamen illi cum imperatore solo fuerat: nũc cum imperatore pariter, ac dæmone. Tum imperatorem à sacro templi ambitu exegerat. nunc ex omnibus Daphnes locis pestilentissimum humani generis hostem expulit, non manũ admouens, quemadmodum & prius fecerat, sed virtute

inuiſibili contra inuiſibilem virtutem depugnans. Ac viuentis quidem liberam orationem non tulit homicida, mortui autem cineres neq; imperator, neque dæmon ſuſtinuit. quo dæmone authore imperator hæc agebat. Nam quòd Babylas ambobus iſtis poſterioribus maiorē incuſſerit timorem, q̄ antea incuſſiſſet priori illi imperatori, inde certe aperte liquet. Prior enim ille Babylam captum, eundemq́; in vincula coniectum interfecit: poſteriores autem iſti Babylam ſolum tranſtulere. Cur enim capſulam in mare demergi neq; dæmon iuſſit, neq; poſterior hic imperator voluit? cur non attriuit, & excuſſit? cur non in vaſtam aliquam ſolitudinem deferri eam mãdauit? Nam ſi ea piaculum, & ſcelus fuiſſet, ſi eam abominans, ac non potius reformidãs illinc dimouiſſet, non intra vrbem piaculum deducere, quin potius in montes quoſdam, in ſaltus transferre oportuit. Sed ſcilicet perdito huic imperatori æque atq; Apollini Babylæ virtus, & libera apud deum oratio cognita erat. ob id formidabat, ſi hoc feciſſet, ne fulmen diuinũ, néve aliquem alium morbum in ſe ipſe prouocaret, multa enim habebat CHRISTI virtutis, tum in ijs qui ante ipſum regnauerant, tum in ijs, qui vnà cum ipſo imperium adminiſtrabant, ſpectatæ argumenta. Nam ex ſuperioribus imperatoribus ij, qui ſimilia attentauerant, mul-

tis, ijsq́ꝫ ĩtolerabilibus calamitatibus acceptis fœda, ac miſerabili morte interierãt, ita vt cuiuſdam, dum adhuc viueret, ſponte ex oculis pupillæ exilierint, Maximinus hic fuit: alius autẽ furore, alius alia id genus calamitate vexatus mortem cum vita commutarit. Cæterum ex ijs qui tum cum ipſo erant, patruus, quum licentioſis inſaniam ſuam contra nos prodidiſſet, auſus impuris manibus ſacra vaſa cõtingere, hoc etiam ſcelere non contentus, ſed cõtumelia vlterius progreſſus (vaſis enim ijs inuerſis, & ſuper pauimentum collocatis, atq; extenſis, ita ſuper ea deſedit) e veſtigio illegitimæ huiuſce ſeſſionis pœnas luit. Illius enim verenda corrupta vermiculos generarũt: ita vt morbum diuinitus illatum conſtaret, ad quem curandum medici aues pingues, easq́ꝫ peregrinas interficiebãt, quibus ad putrefacta membra admotis vermiculos euocabant. illi vero loco quum non mouerentur, mordicus putridis partibus inhærebant, atq; illum ita demum multis diebus abſumptũ perdiderunt. Alius porro regij ærarij præfectus, antequam aulæ regię limen tranſcenderet, derepente medius crepuit, & ipſe id genus impietatis cuiuſdam pœnas luens. hæc ſane, & his item plura, neq; enim omnia enumerare temporis huius eſt, animo luſtrans impius imperator verebatur temeritatem ſuã vlterius pertrahere. Me porro hęc non ex me

enūciare ex eis cōſtabit, quæ ab illo poſtea ædita ſunt. Interim hiſtoriæ noſtræ ordinem perſequamur, quid exinde euenerit recenſentes. hoc enim ipſum mirum admodum eſt, non modo dei opt. max. virtutem, ſed & inenarrabilem in humanum genus clementiam patefaciēs. Babylas intra ſacrum templi ſeptum erat, intra quod & prius fuerat, antequam Daphnen tralatus fuiſſet. At malignus dæmon ſtatim edoctus eſt fruſtra ſibi fraudis ſuę artificia cōficta, ſeq́ꝫ non iam certamen habere cum mortuo, ſed cū eo qui viueret, qui efficax eſſet, quiq́ꝫ non ſe modo, ſed omnes quoqꝫ dæmones fortitudine ſuperaret. Is enim deum precatus ignem in templum vt cælitus dimitteret, totum illius tectum exuſſit, ipſoq́ꝫ idolo ad extremos vſque pedes deleto, eodemq́ꝫ in cinerem, ac puluerem redacto, ab omnibus parietibus, qui ipſi integri adhuc ſtant, abſtinuit. Ac ſi quis nunc illò acceſſerit, nunquam vtique dixerit factū id, ignis opus eſſe. Neqꝫ enim incēdium id non ex compoſito factum, neque ex materia inanimi natum, ſed tanquam manu aliqua ignem circunagente, atque indicante, à quibus abſtinere, quæ porro abſumere oporteret. tanta certe cōcinnitate, tanto artificio ipſum templum detectū eſt, nec adſimile quidem ijs, quæ caſu, ac temere incendio conflagraſſe videmus: verum ijs quæ parietum ambitum integrum

quum habent, tecto tamen carent. Cætera enim omnia, & columnæ item omnes; tam eæ quæ templi culmen, q̃ quæ vestibulū sustinebant, adhuc extant, præter vnam, quæ ad posteriorem templi partem stabat, & hæc tamen non temere perfracta est, sed ea de causa, quam postea dicturi sumus. Hoc incendiū vbi accidit, statim dæmonis sacerdos in carcerē trahitur, incēdij authorem indicare coactus: qui vbi non habuit quem accusaret, intortis cubitis multis flagris vapulauit, in sublime raptus, ac latera vndiq; cæsus. quanquā ne sic quidem ex eo quicquam didicere: verum rei huius euentus similis erat illi, qui in CHRISTI resurrectione accidit. tū enim dispositi fuere milites qui corpus IESV custodirēt, ne quà possent eius discipuli furto illud auferre: cæterū is fuit rei ipsius euentus, vt nulla vel impudēs species ijs relicta fuerit, qui resurrectionis eius fidem eleuare, ac calumniari vellēt. Atq; hic distrahebatur miser sacerdos, quò testificaretur factū id nō diuina ira, sed humano maleficio accidisse. Is tamen contortus, ac fœde laceratus, quum neminem haberet, quem proderet, ignem è cælo delapsum testatus est, vt maleuolis, atq; impudentibus nullus iam calumniæ locus relictus fuerit. At enim quod nos paulo ante dicere volētes in alium locum reiecimus, id ipsi hic tēpestiue dicemus. quidnam vero id esse potest? Cer-

te martyr noſter Babylas imperatorē eouſq; terruit, vt furore ille ſuo ſuperſederet. Neq; enim ipſum quidem ſacerdotem, eumq́;, quē tanto antea honore proſequebatur, tot malis tecti exuſti cauſa affecit, & immanius, q̄ fera crudelis dilaniauit (à cuius etiam vorādis carnibus fortaſſe non tēperaſſet, niſi res ea deteſtāda, omnibusq́; abominabilis viſa fuiſſet) Babylam autem, per quem dęmon os ſuum obſtruxerat, rurſus in vrbem ea de cauſa trāſtulit, vt maior illi honos ab omnibus haberetur. Etenim idem imperator ſi minus prius, hoc eſt quo tempore victum ſe eſſe dæmon faſſus eſt, at certe poſt ipſum incendium omnia ſubuertiſſet, ac perdidiſſet, capſulam exuſſiſſet, vtrunq; item monumētum tum quod in Daphne, tum quod in vrbe erat, niſi metus in eo, q̄ ira maior fuiſſet, ac niſi eius mœſtitiæ timor imperaſſet. Solenne enim permultis eſſe videmus, quū eos ira, ac dolor corripuerit, etiamſi affectuum eorum authores non nanciſcantur, in obuios quoſq;, ac ſuſpectos iram effundere. Non procul autem ab hac ſuſpitione Babylas erat. Nam ſimul vt in vrbem peruenit, ſtatim ignis in templum inuaſit. Sed enim quod dixi affectus cū affectu pugnabat, & iræ metus imperabat: mihi enim hic cogita, qualis eſſe poterat bonus ille imperator in ſuburbiū aſcendēs, hinc martyris monumentum ſtans intuitus, hinc tem

plum exustum, idolum deletum, donaria absumpta, & liberalitatis suæ, ac pompæ satanicæ memoriã omnem de medio sublatam. Nam vt concedamus futurum, vt illum hæc cernentem neq; ira, neq; mœstitia subire posset, ipsum certe dedecus ac risum permultũ ferre minime potuisset. quin potius sacras, impurasq; manus in sancti Babylæ sacellũ intendisset, nisi illum ea, quã ante dixi, causa prohibuisset. Neq; enim parui momenti ea res esse videbatur, per quã videlicet præcisa erat omnis gẽtilium fiducia, & orationis libertas, lætitia omnis extincta, ac tanta mœroris nebula illorum animis offusa, quanta certe offundi potuisset, si deorũ simul omniũ templa diruta fuissent. Ac quod rem ipsam verbis non attollo, ipsa hic ego lamenti, & neniæ eius, quam ciuitatis sophista in dæmonem conscripsit, verba apponam. Sic autem habet neniæ ini-
» tium. Viri, quorum oculis æque ac meis caligo offusa
» est, in posterum neq; pulchram, neque amplam ciuita
» tem hanc vocemus. Deinde quum nonnulla attigisset, disseruissetq; de Daphnes fabula (neq; enim omnem illius orationem huic nostræ inserere tempus pa
» titur, ne longiores, q̃ par est, simus) Persarum, inquit,
» rex olim ciuitate hac capta, tẽplo pepercit. Verba por
» ro ipsa sunt hæc. Ille quidem ducto contra nos exerci
» tu prestare putauit, si templum integrum esse sineret.

» ac certe ſtatuę decor, barbaricæ iræ præualuit. nunc au
» tem ô Sol, ô Terra, quiſnã, vel vnde hoſtis hic? qui ci=
» tra omne auxilium equitum, citra omne pręſidium &
» grauis, & leuis armaturæ militum, tenui ſcintilla om=
» nia abſumpſit? Poſtea vbi declarauit Babylam dęmo
ne ſuperiorem fuiſſe tum, quum gentilium res victi=
» mis, ac ſacrificijs maxime florerent, & noſtrum, in=
» quit, templum ingẽs illud diluuium non auellit: in ſu=
» do autem, atque adeo cum nubes ipſa præterijſſet, de=
» turbatum eſt. nimirum nubem, ac diluuium appellãs
imperatoris eius, qui præceſſerat, tẽpus. Rurſus ora=
tione paulũ progreſſus id ipſum amarulentius deplo
» rat, his verbis. Ad hæc quum aræ tuæ ſanguinem ſiti=
» rent ſedulus Daphnes cuſtos, vel contemptus quum
» eſſes, permanſiſti ô Apollo, aliquoties etiam iniuria la
» ceſſitus, atq; externo ſpoliatus ornatu, patiẽter tamen
» tuliſti. nũc vero multis ouibus, multis item bobus ad
» aram tuam mactatis, poſteaquam ſacroſanctum im=
» peratoris os pede excepiſti, intuitus quæ prædicebas,
» viſus liberatus eſſe à mortuo quodam, quem tute in=
» dicaueras malum tibi vicinum eſſe, ac tibi obſtrepere,
» de medio ſtatim cultu ſolum vertiſti. vndenam mo=
» do gloriabimur apud eos, qui memores ſunt ſacrorũ,
» ſtatuarumq; tibi erectarum? Quid ais lugubris decan
tator? Itáne Apollo quum nullus ei honos tribuere=

tur, atq; adeo quum in vituperium venisset, tutus Daphnes permansit custos: honore autẽ, ac cultu illi pręstito, ne suum quidem templum tueri valuit? Præsertim qui sciret per illius casum, ac ruinam futurum, vt in maiorem priore ignominiam ipse deueniret? Quis porro mortuus ille, ô sophista, qui deo tuo negocium facessit? qualis mala ista vicinia? hoc loci enim in beati Babylæ virtutes quũ incidisset, neq; posset dæmonis ignominiam transmittere, re simpliciter dissimulata prætercurrit, effatus quidẽ dæmonem à martyre obturbari, ac premi, sed neutiquã adijciens, quod quum dæmon infirmitatem suam adumbrare adlaboraret, eandem magis detexerit: verum simpliciter mala, inquit, vicinia liberatus est. quamobrem enim non aperte indicas mortuus ille quisnã fuerit? quamobrem solus ipse deo tuo negocium facessit? quamobrem solus translatus est? quamobrem & tute ipsum eundem viciniam malam appellitas? An'ne quoniã dæmonis imposturam cõuicit? Atqui idipsum non praui alicuius hominis opus fuerit, sicuti neq; mortui, sed viuẽtis potius, & opus agentis, & probi, & præsidis, & patroni, & omnia pro vestra ipsorũ salute procurantis, siquidem voluissetis. Nam vt ne amplius vobis liceret vosmetipsos decipere, ac dictitare dæmonẽ ipsum excandescentem, eũdemq; propter intermissa sacrificia ex-

postulātem, tum vero & de reliquo sui cultu conquerentem vltro abscessisse, nimirum hac de causa illum Babylas ex eo omni loco summouit, qui locus ei maxime omnium gratus esset, quemq; præ alijs tam charum haberet, vt eum etiam inhabitare nō grauaretur, tū, quū nullus ei honos, nullus cultus redderetur. Tu
» enim primo statim loco id testatus es. Atq; hoc ipso
» in tempore quum multas oues, multos boues impera
» tor illi immolaret. Quo fit vt vndecunq; palam fiat, dæmonem ipsum coactum, atque à maiore potentia pulsum de Daphne decessisse. Potuisset quidem Babylas vel statua ipsa stante dęmonem exigere. sed vos nec credidissetis, quemadmodū neq; olim, cum ab eo vinctus fuisset: & assiduo item cultu instaretis. Quāobrem Babylas statuam primum stare quum permisisset, hāc ipsam tum deturbauit, quū maxime impietatis flamma altior ferretur: planum faciens quisquis vincit, hūc sic vincere oportere: non quidem iam depressis aduersarijs, sed tum maxime, quum efferūtur, ac clarescunt. Quamobrem enim Babylas quum Daphnen transportaretur, imperatori transportationis eius authori non mandauit, vt & tēplum subuerteret, & dæmonis statuam aliò trāsferret, quemadmodum arculam transferebat? quia nullum plane detrimētum ab ea statua Babylas sentiebat, neq; ei certe contra dæ-

monē carneo auxilio opus erat: quem & tunc, & nūc quoqꝫ citra humanæ manus præsidium deturbauit. & priorem quidē victoriam nobis manifestam esse noluit, sed illi os tantūmodo quum obstruxisset, cōquieuit. Tales enim esse sanctos cōstat, vt recte peragi modo velint, quæ ad hominum salutē spectāt, non etiam vulgo ostētare opera huiusmodi per se ipsos fieri, nisi sicubi vsus aliquis cogat. Vsum autem rursus esse dico seruandorum hominum curam. id quod tum vsu venit. Quum enim imposturæ dæmonis mala inualescerent, detecta in posterū nobis est victoria, & quidem non à victore, sed ab eo ipso, qui victus est. qua ratione & testimoniū ipsum apud hostes nostros minime suspectum fuit, & Babylas, vt de se ipse prædicaret, vel quum necessariū erat, euitauit. At vero quum ne sic quidem dæmonis impostura finem haberet, sed rursus qui vel saxis ipsis stupidiores erant, atque adeo ad tam apertam veritatem cæcutiebāt, deuicti dæmonis opem implorarent, hic necesse fuit statuā igni deflagrare, quò per id incēdium & alterum item idololatrię incendium extingueretur. Cur tute ergo dæmonem increpas, qui affirmas illum è medio ipso cultu se subtraxisse? Non ille quidem vltro se subtraxit, quin potius exactus, eiectusqꝫ est nolens, coactusqꝫ tum, cū ob nidorē, ac sacrificia manere in animo maxime ha-

beret. Nam qui tum imperabat imperator, quasi ob hoc vnum imperaret, vt vniuersi terrarũ orbis pecudes impenderet, sic largiter, & affatim ad aras oues, boues'q; mactabat. qui & eousque insaniæ prolapsus est, vt multi etiam ex ijs, qui philosophi apud illos viderẽtur, coquum ipsum, & carnium cauponem, necnõ id genus artificem vocitarẽt. A tam opipara igitur mensa, ab huiusmodi nidore, ac fumo, ab his sanguinis torrentibus dæmon vtiq; non se ipse vltro subtraxisset, quum idem antea absque his omnibus, quod tute nuper affirmasti, propter eam insaniã, qua amicam deperibat, libens ibidem moraretur. Sed enim suspensa hic à nobis oratione nostra, interim rursus exaudiamus sophistæ huius lamẽta. Misso enim Apolline ad
» Iouem his verbis questus suos conuertit. Quale ô Iu-
» piter laborantis animi laxamentũ perdidimus? q̃ Da-
» phnes regio à tumultibus libera erat? quanto etiam tẽ-
» plũ ipsum liberius? vtpote in quo natura ex sese quasi
» portum in portu fecerat, ambobus quidem admodũ
» tranquillis, altero tamen maiorẽ tranquillitatem præ-
» stante. quis non ibi morbum? quis non ibi timorem?
» quis non ibi luctum posuisset? quis præterea fortuna-
» tas insulas inibi desiderasset? Quale, cedò, laxamẽtum
ô sceleste perdidimus? qui vero templũ à tumultibus liberius? qui item portus tranquillus? in quo tibiæ, in

quo tympana, in quo crapulæ, in quo comeſſationes,
in quo ebrietates? Quis, inquit, inibi morbum non po
ſuiſſet? quis potius ex aſſeclis tuis morbũ ibidem non
contraxiſſet, etiamſi prius ſanus eſſet? morbũ inquam
omnium lõge pernicioſiſſimũ. Nam qui dæmonem
ipſum adorat, & ad Daphnes fabulæ argumentũ ex=
audiendum aures applicat, & tantam Apollinis inſa=
niam videt, vt abſorpta amica, loco, atq; arbori etiam
nunc incubet, hic quãtum ſecum morbum, quantam
perturbationem circunfert? hoc igitur animi laxamẽ=
tum, hoc portum quietum, hoc morborũ defunctio=
nem appellitas? Iam quid mirum fuerit, ſi contrarijs
contraria appendis? nam qui mente capti ſunt nullius
rei naturam, vt ſe habet ſentiunt, quin potius contra=
riam, q̃ rei veritas habeat ſententiam ferũt. Olympia,
inquit, non admodũ procul: rurſus enim ad huius la=
mentationem reuertar, oſtendens quantam græci illi
omnes, qui tum vrbem incolerẽt, plagam accepiſſent,
& ſimul vt nequaquam id æquanimiter tuliſſet impe
rator, quin potius omnem ſuum furorem in martyris
arculam effudiſſet, niſi eum maior metus cohibuiſſet.
» Quid igitur ait? Olympia iam appetunt. Conuocatu
» ra eſt autẽ panegyris ciuitates: hæ vero aderunt Apol
» lini ſacrificandos boues agentes. Quid faciemus? quis
» præco, quæ buccina lachrymas non exprimet, quis

» Olympia feſtum diem eſſe atteſtabitur? cũ proximus
» caſus luctum inuexerit. Da mihi arcum, & fidiculas
» tragœdia, inquit. Ego autem dico & vaticinij nonni-
» hil, vt tum capiã, tum excuſſis arcu ſagittis impetam
» ſceleris huius authorem. ô impiam audaciam? ô ani-
» mam impuram? ô temerariam manum? Tityus alter
» aliquis hic, vel Idas Lyncei frater, non magnus quidẽ,
» vt ille, neque iaculator vt hic, veruntamen vnum hoc
» edoctus, vt contra deos inſaniat. Aloei filios, etiamnũ
» dijs inſidias ſtruere cogitantes morte compeſcuiſti ô
» Apollo, huic vero ignem procul affer ẽti non obuiam
» ijt ſagitta ipſius cor impetens. ô dextram malignam,
» ô iniquũ ignem. quonam primũ delapſus eſt? quod-
» nam mali huius exordium? Nónne à tecto exorſus, ad
» reliqua deinceps ſerpſit? Ad illius caput, ad faciem, ad
» phialam, ad cidarim, & talarem veſtẽ? Vulcanus ignis
» arbiter non cõminatus eſt igni huic detrimentum af-
» ferenti, quũ beneficio deuinctus Apollini deberet, ob
» indicium olim ſibi ab illo factum. at neq; Iupiter qui
» imbrium habenas tenet, aquam in ignẽ dimiſit, præ-
» ſertim qui olim Lydorum regi periclitãti pyram ex-
» tinxerit. quidnam primum fari auſus, qui bellum hoc
» aggreſſus eſt? Vndenam audaciam tantam ſumpſit?
» quo nam modo impetum aſſeruauit ſuum? qui ani-
» mi ſentẽtiam non mutauit, dei pulchritudinem reue-

ritus? Quouſq; tandẽ miſer, & infortunate rem ipſam
intellecturus non es, qui dictitas ignem hũc humana
manu immiſſum, quiq; delirantiũ ritu pugnantia in-
ter ſe loquutus tecum ipſe digladiaris? Nam ſi dęmon
Perſarum regis tam magno exercitu ſtipati capta iam
vrbe, cæteriſq; templis exuſtis, facem manu quatien-
tis, eandemq; templo iſti iamiam admoturi mentem
immutauit (nam & hæc initio ſtatim næniæ tuę dixi-
» ſti, ſic lamentatus, Perſarum regem, eius qui nunc no
» biſcum bellum gerit progenitorem, vrbem proditio-
» ne captam quum exuſſiſſet, & ad Daphnen concede-
» ret idem facturus, dæmon ſic immutauit vt face, quã
» manu teneret, abiecta Apollinem adoraret, adeo eius
» animum delinijt, & coercuit conſpectus) iſte inquam
dæmon ſi furorem illũ barbaricum, & tam magnum
exercitum victor, vt tute fateris exuperare, ac pericu-
lum illud euitare potuit (addis autem & eundẽ Aloi-
das dijs inſidias ſtruere cogitantes morte compeſcuiſ-
ſe) quo, quæſo, modo, qui tanta præſtare potuit, nunc
nihil quicquam, quod tale foret, præſtitit? quanquã ſi
aliud nihil, certe ſacerdotis tam iniuſte dilacerati, pro-
ducto facinoris authore, miſereri oportuit. Et ſi au-
thorem ipſum prodere ſub ipſum incendij tempus re
cuſauit dæmon, ſaltem repræſentare, ac dedere opor-
tuit tum, quum miſer ille ſacerdos ſuſpenſo corpore

latera perfoderetur, quumq́ rogatus incendij autho=
rem indicare, non haberet quem nominaret. nunc ve=
ro ingratus, & inconſultus miniſtrũ ſuum iniuria fla=
gris affligi, ac lacerari velut conniuentibus oculis per=
mittit: ſinit item & imperatorem poſt tot ac tanta ſa
crificia ludibrio haberi. Eum enim vt inſanum, ac de=
lirum omnes riſere, quum iram ſuam in miſerum il=
lum effunderet. Quomodo autẽ qui regis procul ad=
huc diſtantis aduentum prædixit (nam & ipſum hoc
ſuperius lamẽtatus es) eum qui ſibi propinquus eſſet,
ac qui ſe exureret non vidit? Atqui vatem illũ eſſe vul
tis, & veſtris quidem dijs alias alijs artes, perinde vt ho
minibus diſtribuentes, illi vaticinandi peritiam attri=
buiſtis, nec tamen illum tecum artem ſuam commu=
nicare poſtulas. Quo pacto igitur proprias calamita=
tes non cognouit? quum id factũ ne eum quidem qui
homo ſit latuiſſet? At vero fieri ne potuit, vt obdor=
miret, quo tempore illum ignis cõtingeret? Sed nemo
certe tam ſtupidus eſt, quin flãma corpori ſuo admo=
ta ſtatim excitetur, & admouentẽ compeſcat. Reue=
ra pueri ſemper ſunt græci, ſenex autẽ græcus nullus.
Nam quum oporteat domeſticam imprudentiã com
plorare, quòd videlicet vel res ipſæ dæmonum impo=
ſturam acclament, ipſi vos ne ſic quidem ab illis defi=
citis, ſed dedentes vos ad internitionem proſtituta ve=

ſtra ſalute ducimini pecudum more, quà illi vos ſubſe qui iuſſerint, ſeſſitando ſtatuarum excidium lugẽtes. Tu vero & arcum flagitas, nihil ab illo diſcrepans, qui hæc in tragœdia dixit. quomodo enim non aperta, ac manifeſta inſania fuerit, expectare vt aliquid iſtis ar= mis efficias, quę ne dominum quidem ſuum iuuere? ſi enim maiorem tibi tum artem, tum experiẽtiam ven dicas, q̃ dæmon habeat, certe haudquaquã oportebat illum abs te coli, indoctiorem, & imbecilliorem ijs in artibus, in quibus artibus illũ cæteris antecellere affir= matis. qui ſi primis illi partibus cedis, ſiue iaculãdi, ſi= ue vaticinandi, qui fieri poteſt, vt tibi perſuaſeris in ar tis particula quadam præſtare ea poſſe, quæ ille totam artẽ callens præſtare minime potuit? hæc certe deridi= cula prorſus ſunt, ac nugatoria. neq; enim ille diuina= toriæ artis quicquam habuit, neque ſi habuiſſet, ei illa quicquam profuiſſet. Non enim, non inquam huius incendij author fuit homo, ſed diuina vna virtus. cau ſam autem poſtea aperiam. Sed interim nõ indignũ fuerit perdiſcere, quã ob cauſam Vulcanũ ingratitu= dinis accuſat, per hæc verba: Vulcanus autẽ ignis cu= ſtos non comminatus eſt igni iſti detrimentum affe= rẽti, quum beneficio deuinctus Apollini ob vetus in= dicium deberet. Quodnam, quæſo, beneficiũ? quod= nam vetus illud indiciũ intelligis? quamobrem occul=

tas deorum tuorum præclara, & magnifica facinora? si enim beneficium indicares, nimirũ Apollinem magis ingratũ fuiſſe oſtenderes. Sed te, video, pudet, atq; erubeſcis. Igitur ipſi libere res tuas aperiemus. Quodnam ergo illud beneficium? Aiunt Martem Veneris amore olim fuiſſe correptum, eundemq; quum Vulcanum (Veneris is maritus erat) vereretur, obſeruata illius abſentia ad eã acceſſiſſe, Apollinem autẽ, quum illos vnà commixtos vidiſſet, ad Vulcanum adijſſe, illiq; adulterium renuntiaſſe: Vulcanum porro re comperta, vinculis illos, ſic vt erant, in lecto cõprehendiſſe, deosq; ad turpe illud ſpectaculum aduocaſſe, ac tales quidẽ de illis adulterij pœnas ſumpſiſſe. huiuſmodi beneficio deuinctus Vulcanus Apollini quũ deberet, poſtulante tempore ingratum in referenda gratia fuiſſe ait. quid igitur admiſit & Iupiter ô præclare? nã & tu hunc immanitatis inſimulas, quum eum dictitas imbrium habenas tenentem noluiſſe aquam in flammã dimittere, præſertim qui olim Lydorũ rege infelicitate preſſo pyram extinxiſſet. Sed enim nobis quidem non importune Lydi regis memoriam ſuggeſſiſti. Nam & illum flagitioſus hic dæmon vana ſpe turgidum decepit, in præſentaneum periculũ conijciens, ac niſi humanitatem in eum ſuam Cyrus oſtendiſſet, certe longe illi abfuiſſet Iouis auxilium. Quapropter

fruſtra Ioui vitio vertis, quòd filio ſuo Lydũ antetulerit. neq; enim ſibi ipſemet quo in loco imprimis coleretur (Romuli vrbem intelligo) fulmine tactus auxilio fuit. Cæterum audiamus & reliqua lamẽti iſtius verba: ita enim belle luctum eum, qui illorum animos
» occupauit intelligemus. viri, trahitur mihi mẽs ad dei
» Apollinis ſpeciẽ, ac mihi ob oculos cogitatio typum
» ipſum repræſentat, formæ lenitatem, colli molliciem,
» idq; in lapide, cingulum quo aurea tunica circa pectus
» ſic colligebatur, vt partim ſubſideret, partim ſubſur-
» geret: breuiter totus dei habitus cuius iram vel feruen
» tẽ non ſedauiſſent. vt qui ſimilis eſſet cantilenam oc-
» cinenti. & Hercule audiuit hũc olim aliquis, vt aiunt,
» in meridie cithara ludẽtem, aures beatas. cæterum can
» tus erat terræ laudatio, cuiquidem de aureo cyatho li-
» bare mihi videtur, q̃ puellã occuluerit dehiſcẽs, ac ſe-
» ſe deinde contrahens. Poſt hæc pauca admodũ ad in-
» cendium pertinentia queſtus, clamabat, inquit, viator
» flamma erumpente, turbabatur per lucum Daphnes
» inquilina ſacerdos dei, plãctus autẽ pectorum, & vlu-
» latus ingens per locum arboribus denſum percurrens
» ad vrbem vſq; vehemens, atq; horrificus peruaſit. Im
» peratoris oculus vix ſomnum capere incipiens, amaro
» illo nũtio audito, è lecto exurrexit: ipſe furore perci-
» tus, Mercurij talaria perueſtigans, ad mali iſtius origi-

» nem indagandam pergebat, æquæ intra ſe flagrans, ac
» templũ ipſum. trabes ferebantur, deorſum ignem de=
» ferentes, id omne, quod ignis comprehendiſſet, abſu=
» mẽtes, ipſum ſcilicet ſtatim Apollinẽ à tecto non ad=
» modum diſtantem, mox & alia muſarum ornamẽta,
» ſigna inibi extantia, lapillorum fulgura, columnarum
» pulchritudinem. Vulgus autẽ circunſtans lugebat, au
» xilium tamen ferre minime valens, id quod vſu veni=
» re ſolet ijs, qui de terra naufragium ſpectant, quorum
» vnum hoc ſupereſt auxiliũ, caſum ipſum lachrymis
» proſequi. Nymphę certe è fontibus ſuis egreſſæ ingẽ
» tem luctum excitarunt, ingentẽ item & Iupiter haud
» procul conſidens, cuiuſmodi illum veriſimile eſt labe=
» factatis filij honoribus concitaſſe. Ingẽtem autẽ ſex=
» centorum dæmonum in luco agẽtium turba. neq; cer
» te minorem è media vrbe Calliope, pręſide muſarum
» Apolline ignis iniuriam ſentiente. Poſtmodũ & ſub
» finẽ ait. Præſta te mihi talem Apollo, qualem te red=
» didit Chryſes, dum græcis imprecaretur, ira plenum,
» & nocti adſimilem. quandoquidem tibi ornamenta
» quũ redderemus, & quicquid olim de tẽplo tuo abla=
» tum fuerat reſtitueremus, præreptũ eſt quod colamus
» ſimulachrum, haud aliter q̃ ſi ſponſus aliquis, interim
» dum corollę cõtexuntur, emoriatur. Et ſophiſtę qui=
dem noſtri lamẽtatio hæc fuit, ſeu potius paruæ quæ=

dam lamētationis partes hæ. Mihi vero succurrit admirari, qui factum est, vt ob quæ illum præ pudore se auertere oportebat, ob ea ipse placere sibi putet, vt qui Apollinem eundem intemperati, atque obscœni iuuenis ritu per meridiem cithara personātem inducat, dicátque illi, cantilenæ argumentum amicam esse, aures item eas beatas vocet, quibus obscœnum id carmē exaudire contigerit. Et quidem quod nonnulli ex ijs qui Daphnen, & adiacētia Daphne loca incolunt, collachrymentur, quódque & ciuitatis princeps ipse excandescat, ac nulla certe alia in re, q̃ in luctu, ac lamentis versetur, id certe mirum haudquaquam fuerit. At vero quod ipsi etiam dij eadem mentis, consilijq; inopia laborent, & solum inter se lachrymentur, quodq; neq; Iupiter, neq; Calliopæ, neq; frequens dæmonum turba, ac ne ipsæ quidē nymphæ extinguendo incendio pares sint, sed omnes eiulatus, omnes luctus tantummodo excitēt, id profecto ridiculum admodum fuerit. Ex ijs itaq;, quę à nobis dicta sunt, magnam illos plagā accepisse liquet. etenim sophista vel in media ipsa monodia aperte professus est illos ad viuum, quod dicitur, sauciatos. Id quod certe neutiquam leuiter tulisset imperator, nisi illum maior metus, ac formido distinuisset. Cæterum tempus iam appetere puto, vt ostendamus tum cur deus iram suam non in im

peratorem, ſed in dęmonem conuertit: tum cur factũ eſt, vt ignis totũ templum non abſumpſerit, ſed templi tecto ſtatim diſſipato correptũ ſimulachrum improbarit, atq; refutarit. neq; enim ea temere, neq; ſine cauſa contigerunt, ſed ab ea dei clementia, qua errãtes homines tueri ſolet, facta fuere. qui enim res omnes, etiam antequam enaſcantur, nouit, is & hoc item vnà cum alijs nouerat, futurum, vt ſi fulmen contra imperatorem contorſiſſet, qui præſentes rem ſpectaſſent, temporario quodam timore percellerentur, altero autem, & tertio vertente anno, rei eius memoria deperiret, multiq; miraculo fidem minime haberent. ſin autem templum flãma correptum fuiſſet, fore, vt ea res quouis buccinatore clarius non ijs modo, qui tum ſuperſtites erãt, ſed & poſteris quoq; omnibus dei iram enuntiaret, vt ijs quoq; qui impudẽtes eſſe, ac factum id occultare vellẽt, omnis calumniandi anſa eſſet prærepta. quiſquis enim in rem præſentẽ venit, quaſi nuper contigerit incendium, ſic animo afficitur: idemq; horrore quodã perculſus, cælum contuitus, ſtatim dei opt. max. incendij eius authoris gloriam, ac virtutem laudibus effert. vt enim ſi quis primarij cuiuſdam latronis perfracta ſuperne ſpelunca, ac latibulo, vinctũ illũ extraxerit, ac latronis ſupellectile omni ablata, locum illum feris, ac monedulis receptaculum eſſe ſiue-

rit. postmodum quisquis latibulum huiusmodi fuerit ingressus, simul vt locorum deuastationes, ac direptiones cōtemplatus fuerit, statim secum animo concipit, ac reputat, qualis fuerit qui locū illum prius inhabitaret: ita & hic vsu venit. Procul enim columnas quis intuitus, postea vbi accessit, ac tēpli limen supergressus est, effingit sibi dæmonis abominationē, fraudem, insidias, ac dei iram, atq; fortitudinē admiratus, ita demum de loco eo decedit. sic quæ prius domus erroris, & blasphemiæ fuerat, nunc diuinæ glorię hymnis decātandæ argumētum est, tam ingeniosus, tamq; industrius est deus noster. Atq; hæc quidem necopinata non nunc primū, sed iam inde à superioribus seculis magno ille miraculo ædere solet. Omnia porro recēsere, temporis huius non est. commemorabimus tamē factum quoddam huius perquam simile. Bello olim in Palęstina à Iudæis aduersus alienigenas quosdam commisso, victoria potiti hostes, captam dei arcam, tāquam exuuias, & opimum quoddam spolium suo cuidā idolo, (huic nomē erat Dagon) donarij loco consecrarunt: ea porro in idoli eius templum perlata, statim idoli statua delapsa in caput iacebat. Vbi autem diuinæ virtutis robur ac ruina illi minime agnoscentes, idolum de integro excitatum in sedem suam collocarūt, postridie sub auroræ tempus eò quum ac-

cessissent, viderũt non iam collapsum idolũ, sed prorsus diffractum. Huius enim manus ab humeris auulsæ vnà cum pedibus ad templi limen exilierãt, reliqua idoli parte, & ea quoq; diuulsa, aliò dispersa. Et Sodomorum item tellus, vt parua magnis conferamus, hac ratione vnà cum ipsis incolis incẽdio absumpta, sterilis facta est, vt non solum qui id temporis superstites essent, sed & posteri item omnes locorum calamitate admoniti, continentiores viuerent. si enim ad homines solos supplicium pertinuisset, futurum erat, vt factum id postmodũ ab alijs minime crederetur: propterea locus ipse plagam accepit, qui tempore prorogari potest, quiq; & subsequentia omnia secula admonet, lege cautũ esse, vt qui similia patrauerint, similes pœnas luant, etiamsi in præsentia id non fiat. id quod & in templi huius incendio accidisse videmus. Ecce enim iam vicesimus ex eo annus agitur, nec tamen ædificij ab igne relicti pars vlla deperijt: sed quę partes flãmas euaserũt, eæ solide, ac firmiter stant, suntq; etiam nũc sic validæ, vt vel ad cẽtenos, ducentenosq;, & multo item plures annos durare possint. Id vero qui mirũ videri debet? si ex columnis nulla prorsus ab altera auulsa ad solum deciderit. Columnarum enim earum, quæ ad posteriorem templi partem erãt, vna tantum tum perfracta, ne ea quidẽ corruit, sed à sua sede mo-

ta,ad murum dum caderet inclinata, sic mãsit. Cuius quidem columnæ partes sunt duæ, quarũ altera à basi ad sectionem obliquè muro incubuit, altera à sectione eadem ad capitulum supina constitit, & ea ab inferiori parte suffulta. quãquam autẽ & venti vehementes loco illi sæpe incubuere, & terrȩmotibus crebris tellus fuit concussa, ignis tamẽ reliquiæ inconcussæ manserunt, quȩ ipsæ firmiter stant, propemodum clamantes, sese ad posteriorum emendationem asseruatas esse. Et quidem quòd templum ipsum totum non conflagrarit, hanc dicere possis causam esse: ꝙ autem imperator fulmine percussus non fuerit, aliam, si quæsieris, causam reperies, ex eodem bonitatis, & clementiæ dei fonte manantem. Propterea enim deus ignem ab imperatoris capite defendit, eũdemq; in templi tectũ eiaculatus est, vt alieno ille malo edoctus, pœnam sibi reseruatam effugeret, pœnitentia compunctus, & ab errore liberatus. Illi enim hoc neq; solum, neq; primũ virtutis suæ signũ CHRISTVS dedit, sed & alia item multa hoc ipso nõ inferiora. Nam & patruus eius, & quæstor ærarius, sic, vt dixi vterq; vitam finiẽtes, prȩterea & fames in vrbem statim vnà cum ipso imperatore inuadens, & aquarum penuria nunquam ante visa, q̃ ab eo sacrificia in ipsis fontibus facta fuissent, & multa insuper alia, tum ea, quȩ in ipsius castris, tum ea

quę in vrbibus euenerũt, huiusmodi certe fuere, vt vel saxeam animam flectere possent, non ob id quidem, q̄ permulta essent, neque ob id, q̄ omnia pariter ædẽrentur, ac deinceps, & post ipsa statim scelera perpetrata, vt quondam Aegyptiorum regis tempore: sed quod quæ ædebantur miracula per sese talia erant, vt ad eorũ qui ea cernerent emẽdationem aliud alio non egeret, verum illorum vnumquodque hoc ipsum per se præstare posset. Nam vt cætera prætermittam, ecquem, qui idem non admodũ stupidus esset, non perterrefecisset æditum ad veteris tẽpli Hierosolimitani fundamenta miraculum? id vero eiusmodi fuit. Tyrãnus quũ videret per omnes imperij sui fines CHRISTI fidem esse diffusam, eandem'q; iam ad Persas vsque, alios'q; remotiores barbaros, atq; adeo vltra etiam illos peruasisse, breuiter omnem eam, quam sol radijs suis lustrat, regionẽ occupare, cruciabatur animo, atq; angebatur, apparabat'q; sese ad gerẽdum contra Christianorum cõuentus bellum: infelix, vt qui ignoraret se contra stimulum calces. Ac primum quidem Hierosolymitanum templum CHRISTI virtute solo æquatum excitare conabatur, & Iudæorũ res quãquam græcus homo procurabat, virtutis CHRISTI periculum inde facere volens. Hic vocatis ad se Iudæis quibusdam, ijs'q; sacrificare iussis (nam & illorum maio-

res dicebat hũc religionis ritum obſeruare ſolitos) vbi Iudæi ijdem eò confugerũt, vt dicerẽt, fas ſibi nequaquam eſſe, id templo collapſo extra veterem metropolim facere, iubet illos pecunia de regali theſauro ſumpta, ſuppeditatisq; ijs omnibus, quæ ad opus neceſſaria forent, abire, templum inſtaurare, & ad priſtinam ſacrorum conſuetudinem redire. Tum illi dementes plane, ijdémque à matris vtero errantes, atq; ad canos vſque eruditione indigentes diſceſſerunt, imperatoris mandato parituri. At ſimul vt ædificaturi foſſitiã humum euacuare cœperunt, ſtatim è fundamentis ignis exilijt, quo omnes pariter abſũpti fuere. Quæ res imperatori vt renunciata fuit, is neque vlterius inſaniam ſuã promouere conatus eſt, metu enim detinebatur: neq; tamen dæmonum errore (quorũ tyrannide prorſus premebatur) defungi voluit. At tum quidem ſuperſedebat. Cæterum non ita multo poſt tempore ad id genus leuitatis redijt, templũ quidem non iam ædificare audens, aliunde autem paruulis prælijs, ac velitationibus nos impetens: aperto enim marte nos adoriri tum differebat: primũ, atq; præcipue, quòd perſuaſus plane eſſet, fruſtra ſe id tentaturum, deinde quòd nullam nobis anſam relinquere volebat, per quã martyrij corona redimiri poſſemus. Ferre enim haudquaquã poterat, idq; illi quauis calamitate indignius erat,

ſi quis in medium productus pro veritate vel ad mor tem vſque tormenta ſuſtineret: vſqueadeo ex animo inimicitias ſe noſtras ſuſcepiſſe declarabat: nouerat enim, nouerat inquam aperte, futurum, vt ſi id ipſe attẽtaſſet, omnes pro CHRISTI nomine ſuas ipſorum animas proderẽt. Proinde vafer, & callidus quum eſſet, quos intelligebat ob peccatũ aliquod Chriſtianorum conuentuũ principibus pœnas dediſſe, & à præfectura, quam gererẽt amotos, eos omneis liberos eſſe ſiuit: hoc modo peſſimis quibuſque libertatem concedens, eccleſię leges ſubuertens, denique omnes inter ſe committens. fore enim ſperabat, vt poſtmodum minore negotio debellarentur, ſi prius bello inter ſe conflictati fuiſſent. quinetiam quendam, huic Stephano nomen erat, tum ob doctrinæ peruerſitatem, tum ob vitæ improbitatem ab eccleſiaſtico principatu amotum, iubet de integro magiſterij ſedem occupare: atq; adeo Chriſtianum nomen tũc vt extingueretur, quo ad eius poterat, elaborabat, Galilæos pro Chriſtianis nos in edictis ſuis tum ipſe appellãs, tum principes vt idem factitarent adhortans. Inter media autem ea ſigna, quæ per famem atque ſiccitatem eueniſſe recenſui, à ſua ipſe impudẽtia, ac duritia minime deſiſtebat. Idem cõtra Perſas bellum ſuſcepturus, tanto cũ faſtu quum deſcẽdiſſet, vt ſi omnem barbarorum gentem

deleturus esset, identidem nobis cōminabatur, quum diceret omneis se, post suum à Persis reditum, funditus perditurum. hoc enim bellũ sibi esse Persico grauius, atq; adeo oportere minore illo confecto, tum demum ad hoc quod maius foret descẽdere. & hæc quidem nobis nuntiabãt qui illi à consilijs erãt. Aestuans porro ira aduersum nos ad maiorẽ quotidie insaniam sublatus, in eadem nunquam sententia persistebat, sed priore illo cõsilio posito, rursus nobis persecutionem minabatur. Cæterum quum illum deus inhibere, atq; intumescentẽ sedare vellet, ædidit rursus signum hoc in Daphne, igni in templum immisso. hic vero ne sic quidẽ furore suo supersedit. quin potius summa depopulandi nostri cupiditate quum disrumperetur, ne ad id quidem tempus, quod minitatus fuerat, sibi temperauit: sed Euphratem traiecturus, militum suorum animos probabat, ac paucos quosdã adulatione quum corrupisset, quos suæ volũtati repugnãtes inuenit nequaquam exauthorauit, veritus si eos à reliquorũ cœtu segregasset, ne copias suas contra Persas debiliores redderet. Quis nobis hic quę subsecuta sũt enarrabit? quæ quidẽ ijs multo terribiliora sunt, quę tum in eremo, tum in mari, tum in Aegypto acciderunt, quo tẽpore Pharao ille sensu carens plectebatur, & qui cum eo erant omnes submergebantur. Quemadmodum

enim tum, postea quàm Aegyptius ob nullũ calamitatis genus concedere, ac melior fieri voluit, illum tandem deus vnà cum suo exercitu perdidit, sic & nunc postea quàm ad omnia dei miracula imperator hic impudenter constitit, nihil fructus inde percipere volẽs, animúmque inemendatum ad omnia afferens, hunc ipsum deus idem extremis malis inuoluit, vt quoniã aliorum calamitatibus edoctus ad frugem bonam redire non sustinuit, eius supplicijs meliores alij euaderent. Qui enim plures militum myriadas secum duxerat, q̃ vllus vnquam ante ipsum imperator, quique idem Persidem omnem per incursionem, ac sine puluere, quod aiunt, capturum se sperauerat, huic sic infeliciter, ac miserabiliter res successit, vt fœminarum potius, ac puerulorum, q̃ virorum exercitum illũ secum habuisse dicas. Primum enim imprudẽtia sua in tantam illos necessitatẽ adegit, vt equinis carnibus vescerentur, ac partim fame, partim siti absumpti perirent: quasi enim in Persarum gratiam copias ageret, neque illos capere, quin potius suos illis prodere studeret, sic eos in locorum difficultates quasdam cõclusit, ac fere vinctos hosti tradidit. Enimuero calamitatum earum genus omne nullus possit, vel ex ijs, qui illas viderunt, expertiq; sunt, recensere. Ita omnem modum exuperarunt. sed vt summatim dicamus, illo turpiter,

ac miserabiliter mortuo (alij enim illum volunt à lixa quodam rerum indignitatem non ferente percussum interijsse: alij autem, ne vidisse quidem se, à quo interfectus sit, sed fuisse tantummodo percussum dicunt, rogasseq; vt in Ciliciam, inibi sepeliẽdus, portaretur, vbi etiam nunc iacet) illo inquam tam turpiter mortuo, quum viderent milites in extremo sese vitæ periculo constitutos, cum hostibus pepigerunt: quibus quum iureiurãdo recepissent, abscessuros se à loco locorum omnium tutissimo, eodémq; regionis nostræ tanquam muro quodam inexpugnabili, barbaros humanos erga se nacti, ita euaserunt, atq; è multis pauci reuerterũt, & ipsi affectis admodum corporibus, erubescentes ob fœdera cum hostibus pacta, coacti vero illis per iusiurandum paternis bonis cedere. Hic videre erat spectaculum qualibet captiuitate miserabilius: nam vrbis illius ciues à quibus gratiam aliquam expectabant, quòd suos omnes intus muri instar in portu collocarant, pro omnibus semper ad omnia pericula obiecti, ab ijs hostilia omnia passi sunt, proprijs domibus, atq; agris relictis solum vertere coacti, & à maiorum suorum possessionibus auulsi: atque eam iniuriam à suis acceperunt. hunc nos fructum ab egregij istius imperatoris operibus percepimus. Hæc porro temere à nobis dicta non sunt, sed vt satisfactũ ijs es=

ſet, qui quærerent, cur non antea deus de imperatore pœnas ſumpſit. Illum enim rabie percitum ſæpenumero reprimere voluit: ne impetu vlterius procederet, & alienorum malorum exemplo emẽdare: at vbi reſtitit extremis illum malis obiecit, iuſtam quidẽ peccatorum eius retributionem in magnum illum iudicij diem reijciens: præſenti autem pœna ſupiniores excitans, & caſtigans. Talis eſt enim dei manſuetudo, vt qui eadem non recte vtuntur, eos grauiore pœna afficiat. quæ quemadmodum reſipiſcentibus vtilis, ita & obſtinatis, ac peruicacibus maioris ſupplicij occaſio eſſe ſolet. Quod ſi dixeris, quid? nónne prȩuiderat deus fore vt tyrannus hic nunquam emendaretur? præuiderat quidem, ſed tamen ob id quod malitiã noſtram proſpiciat, officium ille ſuum non intermittit: quin potius, etiamſi eius non admittamus admonitionem, clemẽtiam tamen in nos ſuam præſtat: qui ſi poſtmodũ in grauiora etiam nos peccata impingimus, id certe non iam eo authore euenit, qui nõ propterea lenis, lõganimisq; eſt, vt pereamus, ſed vt ſeruemur potius: verum nobis authoribus fit, qui in illius immẽſam tolerantiam iniurij ſumus. Sic autem & infinitam ſuam in nos clementiam oſtendit. quoties enim recuſamus ab eius prolixa lenitate adiuuari, tum ille in aliorum vſum eam vertit, nuſquam non clementiam erga nos

ſuam ſimul, & prouidentiam, ſolertiámque prodens. Id quod tum præſtitum eſt. Et tyrannus quidem in hunc, quem dixi, modum è viuis deceſſit. Rabiei autem eius, ac beati Babylæ virtutis argumēta extant, & templum, & martyrij monumentū, illud deſolatum, hoc eandem quam prius efficaciam retinens. Cuius capſula non vltra refertur, deo rem ſic diſpenſante, quo poſteris teſtatiora ſint præclara Babylæ eiuſdem facinora. Quiſquis enim eò aliunde accedit martyrem requirens, hunc vbi ab eo loco abeſſe videt, ſtatim cauſam ſciſcitatur, neque prius de loco decedit, q̃ omnem eam hiſtoriam perdoctus fuerit. ſic & dum ad Daphnes locū accedit, & rurſus ab eodem dum decedit, fructum maximum percipit. Ea eſt martyrū virtus & viuentiū, & mortuorum, & ad loca illa, vel illa adeuntium, & rurſus ab eiſdem aliò migrantiū. Etenim ab initio ad finem vſque Babylæ noſtri præclara facinora continua quaſi ſerie copulata fuere. Rem, quæſo, animo luſtra. dei leges ab iniuria vindicauit. pro occiſo pœnas ſumpſit. qua ex re planū fecit, quanto inter ſe interuallo ſacerdotium, & regnū diſſideant. mūdi faſtum omnē diſſoluit. vitæ huius opinionem conculcauit. Reges docuit nihil vltra modum ipſis à deo datum poteſtatem promouere. ſacerdotibus planum fecit, vt principatui huic præeſſe oporteat. Atq; hæc

quidē, & his item longe plura etiamnum viuens præſtitit. Vbi autē hinc emigrauit, dæmonis robur eneruauit. gentilium impoſturam coarguit. vaticinij deliramenta detexit. perſonam eius contriuit: ſimulationem omnibus denudauit, ac patefecit. eum, qui in ea dominari videretur, obmuteſcere cogēs, ac magna vehementia opprimens. hodie quoque templi parietes recti ſtant, omnibus quaſi prædicantes quà dæmonis impudentiam, riſum, imbecillitatem, quà martyris coronas, victoriam, virtutē. Ea ſane eſt ſanctorum fortitudo, tam inexpugnabilis, & terrifica tum regibus, tum dæmonibus, tum ipſi etiam dęmonum principi.

F I N I S.


HANC
ACIEM
TEM
PVS
SOLA
RETVNDIT
VIR
TVS.

## GERMANVS BRIXIVS LECTORI.



Ector probe quiſquis es, & cãdide, tametſi id mihi ipſe de te, tuoq́ꝫ candore promitto, vt reputaturus ſis, me non ab re, neque leui de cauſa in eo opere vertendo deſudare voluiſſe, in quo iam mihi alius anteuertiſſet, tamen quoniam nõ omnibus ſtatim arbitror otium tale adfore, vt ſumptã in manus tum Oecolampadij, tum meam in Chryſoſtomi Babylam tranſlationem cum græco exẽplari cõferre, ſicq́ꝫ rem totam expendẽs, ſuo, quod aiunt, marte de vtriuſq́ꝫ trãſlationis fide calculum ferre poſſit, non alienũ eſſe putaui, ſi tibi hic ego interim inſignes aliquot Oecolampadij lapſus ex q̃ plurimis deſignarem, illiusq́ꝫ veluti obſignatas tabulas proferrem, per quas tanquam certiſſimis, veriſſimisq́ꝫ argumẽtis palàm detecta, conuictaq́ꝫ eſſet hominis, vertendis græcis authoribus, ſiue negligentia, ſiue inſcitia, ſiue etiam (quod peſtilentius quidẽ fuerit, ſed quod tamen doctiſſimi, integerrimiq́ꝫ theologi in Oecolampadio deprehendere ſe atteſtantur) malitia, dum ille nunc Theophylacti, nunc Chryſoſtomi interpretem agens, vtriuſque intellectum aliquoties pro arbitratu ſuo ad improbata pijs dogmata deprauãs detorquet. qua vna de cauſa iam permultos eſſe audio apud nos,

Italos, Anglos, atque adeò apud Germanos ipsos, qui religiose, cautim, circunspecte Oecolampadij versiones tractãt. quod ipsum dubium non est quin circunspectius multo facturi sint, posteaquã certam sibi factam fidem viderint, eundem illum tam multis locis à Chrysostomi intellectu toto, quod aiunt, cęlo aberrare. quamnam enim per deum immortalẽ interpreti illi fidẽ habeas, qui quoties nodus aliquis, in eo, quẽ vertit, authore, incidit, eum non modo non soluit, sed se ab eo extricare dum vult, illum nobis inextricabiliorem reddit? Interim sensa ea diuinãs, afferénsque, ad quæ deierare possis authorem ipsum ne somniantem quidem diuertisse: quíq; idem ad authoris ipsius non tantum schemata, troposq; obscuros (quos ipsos identidem occurrere par est in eo quidem authore, qui doctrinam pariter, eloquentiamq; suam lectori probatam esse vult) sed ad ipsa etiam vel apertissima verba frequẽs cæcutit. Quod ipsum vt ne me vel venditandi, ostentandiq; mei, vel calumniandi, eleuandiq; alterius causa (ab vtroq; autem crimine q̃ longissime abesse semper volui) iactitare putes, en tibi hic ob oculos loca ipsa subijciam. Tu modo liberum animum, syncerumq; ad rem ipsam iudicium adferto.

# INSIGNIVM IOANNIS OECOLAMPADII ERRATORVM in Chrysostomi Babyla admissorum elenchus.

PRima operis charta, sic habet græca Chrysostomi lectio, καὶ γὰρ τοὺς δεινοὺς τῶν τε ἰχθύων τῶν τε ὀρνίθων θηρευτὰς, οὐ γυμνὰ προτιθέναι τὰ θήρατρα, ἀλλὰ τοῖς δελέασι πάντοθεν αὐτὰ περιστείλαντας ἀκριβῶς, οὕτως τῆς ἄγρας περιγενέσθαι ἑκατέρας ἑκατέρους. εἰ δὲ ἐκκαλύψαντες αὐτὰ τοῖς ἁλίσκεσθαι μέλλουσιν οὕτω παρεῖχον ὁρᾶν, οὔτε ἰχθῦς οὔτε ὄρνιθες τῶν ἀρκύων ἐκείνων ἐντὸς ἂν ἐγένοντό ποτε. μᾶλλον δὲ οὐδὲ ἂν τὴν ἀρχὴν προσῆλθον αὐτοῖς, ἀλλὰ κεναῖς ἂν ἕκαστος ἀπῆλθε χερσὶν οἴκαδε, ὅτε θαλάττιος ὅτε χερσαῖος θηρατής. Quorum verborum vera hæc est sententia. Nam & callidos tum piscatores, tum aucupes nequaquã nuda proponere retia, sed illis diligenter esca prius circumlitis, ita demum venationis vtriusq; vtrosq; compotes euadere: qui si retibus detectis, ea belluis quas captant contuenda præbuerint, fiet certe, vt neq; pisces, neq; aues in illa vnquã introeant, imò vero ne illis quidem prorsus appropinquent, ita vt vterq; domum vacuis manibus sit reuersurus, tam qui mari piscatur, q̃ qui terra venatur. Nunc audi translationem Oecolampadij. Sicut piscatores & aucupes non nudis retibus, sed circumcirca diligenter inescatis vtuntur alia alijs venando. enimuero si retia detegãtur, ita vt auibus, piscibúsve conspicua sint, nihil capiunt, & licet diu assideant, vacuis tamen manibus domũ tandem redeunt, siue terra, siue mari venentur. Hæc Oecolampadius. Ego vero lector candide breuitati consulens non immorabor in excutiendis explicandísq; singulis, tum sentẽtijs, tum verbis, tum syllabis, in quibus ille toto hoc opere hallucinatus est, abunde satisfactũ ratus, si tibi integra sensa ante oculos subiecero, quę diligenter versatus quum fueris, & nunc cũ græco exemplari, nunc cum nostra translatione, vtrunq; enim attexuimus, con

tuleris, per te ipse statim deprehendes, quibus potissimum lo
cis cæcutierit. Qui si vbiq; persequi in animo habuissem, vo=
culas eas omnes quarum nobis intellectum Oecolampadius
reddere vel neglexit, vel nesciuit, profecto non maior est Ho=
meri Ilias, q̃ ea de re confectus à me liber fuisset. Vsqueadeo
Oecolampadij plena sunt omnia græcarum & figurarum, &
vocum ab eo si minus ignoratarum, at certe non redditarum
qui inter cætera, quæ illi interpretis partes agenti vitio verte=
re possis, naturã, ac vim græce huius particulæ ἂν nullo pro=
pemodum loco intellexit: qua ex ignoratione mirum est, q̃
vbiq; ipsa verborũ tempora peruertat. Itaq; facessat hinc pro=
cul labor hic inglorius huiusmodi minutiarũ mihi excutien=
darum. ad quem equidem laborem tantum abest, vt mea ipse
sponte delabi possim (lacessitus enim ab aduersario id fortas=
se vel inuitus facerem) vt nisi etiam grauissimi viri, ijdem in
Theologiæ studijs primas apud nos occupantes, me ad elen=
chum, indicemq; hunc insignium erratorum in Oecolampa
dij versione deprehensorum lectori seorsum exhibendũ ora=
tione sua pertraxissent. futurum certe ~~erat~~ fuerit, vt nudam nostrã
in Babylam versionem publicarẽ. Sed tu rem totam, vt se ha=
bet, intelligito. Translationem meam æditurus quum essem,
cõmodum monuit me amicus quidam, nuperrime cautum
esse à pontificibus, Theologisq; nostratibus ijs, qui nũc sacro
sanctum conciliũ Lutetiæ hoc nomine celebrant, vt sacerdo=
tum moribus consultum sit, ne quis postea liber ad sacra do=
gmata pertinens exiret, nisi prius ab ijs Theologis, quibus ea
per illos prouincia demãdata fuisset, diligenter lectus, excus=
susq; esset. Idq; ne quid in futurũ publicetur quod aliqua ex
parte Christianam pietatẽ offendat. Huic ego decreto quum
non parere nollem, librumq; meũ pontificibus, Theologisq;
ijsdem obtulissem, factum est, vt quibus examinãdi eius pro=
uincia demandata fuerat, quiq; cunctis suffragijs librum ta=
lem esse iudicassent, vt sine periculo inuulgari posset, ij etiam

hortarentur, & hanc quoqꝫ ſibi dieculæ vnius & alterius operam impertirer, videlicet vt libro ipſi elenchum adderem: per quem quidẽ ſi minus omnia, certe præcipua quædam Oecolampadij errata in Babylam admiſſa veluti in tabella deſcripta à lectore in græcis vel non admodum exercitato cognoſci ſtatim poſſent. Id operæ quum detrectare honeſte nobis nõ liceret (quorũ enim authoritate libro exeundi in manus hominum poteſtas fieret, ijs omnino à me aliquid viciſſim largiendum erat) factum eſt, vt in hoc ipſi labore nobis vt inuſitato, ita non admodum grato verſaremur. mihi enim homini, niſi fallor, non ita multum ambitioſo abunde ſatiſfactum putabam, ſi doctis tantũmodo viris (de ijs loquor in quorum manus opus quoquo pacto peruenire poterat) innotuiſſet, Chryſoſtomi Babylam à me ſi minus eleganter, q̃ vellem, at non indiligẽter tamen verſum: idqꝫ vt ne quis forte rei eius ignarus in eandem, quod aiunt, Helenam riualis mecum caſu incideret. placet enim mihi, placuitqꝫ ſemper in ſtudijs modeſtia magis, ac profectus, q̃ oſtentatio, ac fucus. Sed de eius orationis genere toto plura aliâs. Redeamus, ſi placet, ad elenchum à nobis cœptum: hoc eſt ad Oecolampadij illuſtres lapſus detegendos, ne te forte illius veſtigijs inhærentem itidem labi contingat.

Charta 2. τὸ γὰρ ἀνθρωπίνοις αἵμασι τοὺς ἑαυτῶν προστάττειν φοινίττεσθαι βωμούς, καὶ παρὰ τῶν σπειράντων τὰ τοιαῦτα αὐτοῖς κελεύειν ἱερεῖα καταβάλλεσθαι, τίνα οὐκ ἂν ἀποκρύψειεν μανίας ὑπερβολήν.

Hũc locũ ſic vertit Oecolampadius. Nam quod humano ſanguine aras ſuas rubricari, ſicqꝫ ſibi tẽpla fundari præcipiebãt, quis ignoraret extremã eſſe dementiam? Quorum tamẽ verborum ſenſus hic eſt. Illos enim ſuas aras imperare humano ſanguine rubefieri, neqꝫ non ab illis ipſis qui vitæ ſemina præbuiſſent, hoc eſt à parẽtibus proprijs iubere eiuſmodi ſibi victimas immolari, id vero quam vel ſummam inſaniam non obſcuret?

Charta 3. ταῦτα κἂν ἐν θαύματι παρηκολούθησεν μέγα, μὴ ὅτι εἴπου τὶ καὶ ἐδείχθη μικρὸν, καὶ οὐδενὸς ἄξιον λόγου, καὶ πολλῆς γέμον ἀπάτης ἦν, ἀλλ᾽ εἰ καὶ μεγάλα ἦν, τὰ γινόμενα ταῦτα ἀπόχρη εἶπον τοῖς μὴ λίαν ἐξεστηκόσιν ἱκανὰ δεῖξαι, τίνες ἦσαν οἱ καὶ ἐκεῖνα ἐργαζόμενοι, πῶς μιαροὶ καὶ παμμίαροι, καὶ πάντα ἐπ᾽ ἐκτροπῇ καὶ τῆς ζωῆς καὶ τῆς καταστάσεως τεκταίνοντες τῆς ἡμετέρας. Hunc locũ ſic nos reddidimus. Hæc, etiamſi magnũ aliquod miraculum ſubſecutũ fuiſſet, nedum ſicubi exiguũ quoddã, ac nihili æſtimãdũ, idemq́ꝫ multa impoſtura ſcatens proditum fuerit, hæc inq̃ opera, etiamſi magna fuiſſent, tamẽ quæ ego dixi, eiuſcemodi fuiſſe cõſtat, vt abũde probare poſſint, ijs quidem certe qui mẽte alienata nequaquã ſunt, quinam plane eſſent operũ illorũ artifices, vt flagitioſi, vt omnibus modis ſcelesti, vt nihil non ad vitæ, ſtatúſque noſtri ſubuerſionem molientes. Tu modo oculos, mentemq́ꝫ totam transfer ad Oecolampadij tranſlationem. Porro etſi tunc magnum aliquod ſubſequutum eſſe miraculũ concedamus, paruum tamen eſt quãtumcunqꝫ eſt, & indignum quod cõmemoretur, atque deceptione adeò plenum, non tamen dixerim aliquod magnum eſſe demonſtratum. Quod ſi eſſet magnũ, vt ita loquar, parum exercitatis: id tamen fœdiſſimi, pollutiſſimiq́ꝫ illi, curioſe ſcribẽtes vti iuſtum probabant, & ad turbã ſubuertendámque vitam noſtram cõcinnabant. Hæc ille. obteſtor te lector optime, quis omnino ſenſus humanus ex his verbis percipi poſſit? An non hæc Sibyllæ folijs obſcuriora?

Charta eadem. ὅσον γὰρ ἐστὶν ἀγαθὸς, μόνος οἶδεν αὐτὸς, ἐπειδὴ καὶ μόνος ἐστὶν οὕτως ἀγαθός. Hoc totũ ſuppreſſit Oecolãpadius, neqꝫ nobis latine reddidit. quo animo, nõ intelligo. ſomnolentiam autem hoc loci illi potius imputes, quàm ignorãtiam. quum locus ſit clariſſimus. author de deo loquitur, ac ſic ait. Quàm enim bonus eſt, ſolus ipſe nouit, quandoquidem & ſolus ipſe ſic bonus eſt.

Charta ſubſequẽti. εἰπὲ γάρ μοι, διὰ τί τὸν ζωροάστρην ἐκεῖνον καὶ τὸν ζάμολξιν, οὐδὲ ἐξ ὀνόματος ἴσασιν οἱ πολλοὶ μᾶλλον ἢ οὐδένες, πλὴν

ὀλίγων τινῶν, ὅτι πλάσματα ἦν τὰ περὶ ἐκείνων λεγόμενα ἅπαντα, καί τοι κἀκεῖνοι καὶ οἱ τὰ ἐκείνων συνθέντες δεινοὶ γενέσθαι λέγονται, οἱ μὲν γοητείαν εὑρεῖν καὶ ἐργάσασθαι, οἱ δὲ συσκιάσαι ψεῦδος τῇ τῶν λόγων πιθανότητι. ἀλλὰ πάντα μάτην γίνεται καὶ εἰκῆ, ὅτ᾽ ἂν ἡ τῶν λεγομένων ὑπόθεσις σαθρὰ καὶ ψευδὴς οὖσα τύχῃ. ὥσπερ οὖν ὅτ᾽ ἂν ἰσχυρὰ καὶ ἀληθὴς, πάντα πάλιν μάτην γίνεται καὶ εἰκῆ τὰ πρὸς ἀνατροπὴν ἐπινοούμενα παρὰ τῶν ἐχθρῶν. Hæc omnia ſic interpretatus eſt Oecolampadius. Dic ſodes quare Zoroaſtrē illum & Zamolxim plerique ne à nomine quidem norunt, imò nulli niſi admodum pauci? quia ficta ſunt omnia quæ de illis dicuntur. ſimiliter ignorantur & ſcriptores qui de illis libros conſcripſerunt quamuis & eloquentes, & eximij fuiſſe feruntur, tam hi, quàm illi authores quidem, vtpote qui magicam & inuenerunt & exercuerunt. ſcriptores vero, vt qui ſermone probabili mendacium adumbrarũt, licet incaſſum & fruſtra omnis eorum opera, quandoquidem inutilem & mendacē tractabant materiam. Quæ ſi ſolida & verax ad eam ſubuertendam vana & inutilia forent omnia quæ ab æmulis excogitari poſſunt. Hactenus Oecolampadius ſomniatoris rectius partes egit q̄ interpretis. Chryſoſtomi porrò germanus hic ſenſus eſt. Quamnam enim, quæſo, ob cauſam Zoroaſtrē illum, itemq́ Zamolxim ne de nomine quidem multi, imò vero nulli niſi admodum pauci norunt? quoniam figmenta ſunt quę de illis circunferuntur omnia, quanquam tum illi ipſi, tum ij etiam qui illorũ facta memoriæ prodiderunt, ſummi artifices fuiſſe feruntur, illi quidem impoſturæ cōminiſcēdæ, atq́ exercēdæ, hi autem mendacij orationis illecebris adumbrandi. ſed quē admodum omnia fruſtra, ac temere fiũt, quum vitiatum, infirmum, ac minime verum fuerit eorum, quæ dicere propoſueris, argumentum, ſic quum id ſolidum, ac verum, omnia rurſus fruſtra, ac temere tentãtur, quæ ad illius ſubuerſionem ab inimicis excogitata fuerint.

Charta 5. οὔτε γὰρ εἰ τὰ σώματα ἀδαμάντινα καὶ ἄφθαρτα ἦν ἡμῖν,

σκορπίους καὶ ὄφεις καὶ πῦρ ταῖς χερσὶν ἐπισφίγγοντες ἐδείσαμεν ἄν, ἀλλὰ καὶ ἐπεδειξάμεθα. οὕτε ἐπειδὴ τὰς ψυχὰς ἡμῖν καὶ τὴν πίστιν τοιαύ=
την κατεσκεύασεν ὁ χριστὸς, τὰ φάρμακα τῶν ἐχθρῶν ἔχοντες δεδοί=
καμεν. εἰ γὰρ ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ πάσης τοῦ διαβόλου τῆς τυ=
ραννίδος πατεῖν ἡμῖν ἐπιτέτακται, πολλῷ μᾶλλον ἐπάνω σκωλήκων καὶ κανθάρων. τοσοῦτον γὰρ τὸ μέσον τῆς τούτων βλάβης, πρὸς τὴν ἐκεί=
νου τοῦ πονηροῦ δαίμονος ἐπιβουλήν. Quem nobis locũ ita versum idem Oecolampadius reliquit. Enimuero ſicut ſi adamantina & incorruptibilia nobis corpora eſſent, neq; ſcorpios, neq; ſer pẽtes, neq; ignem manibus formidaremus cõplecti: ita quum animas noſtras tali fide Chriſtus armauit, nõ eſt quod time= amus etiam hoſtiũ tenentes venena. Nobis enim conceſſum eſt ambulare ſuper ſerpẽtes, & ſcorpios & omnem diaboli ty rannidem, multo magis & ſuper teredines, ac ſcarabæos, tam procul eſt, ne qua parte nos offendant inſidiæ diabolicæ. Hæc ille. Sed tu audi quid reuera Chryſoſtomus ſentiat. Neque ſi adamãtina atq; immortalia nobis corpora ineſſent, ſcorpios, ſerpentes, ignem manibus conſtringentes timeremus: quin= imò & huius rei periculum palàm oſtentantes faceremus: ea= dem ratione neque poſteaq̃ animas noſtras, fidemq; in nobis tantam ſtabiliuit Chriſtus hoſtium noſtrorum venenis impe titi timemus. Nam ſi nobis imperatum eſt ſuper ſerpentes, ac ſcorpios, ſuper omnem item diaboli tyrannidem ambula= re, multo magis ſuper vermes & ſcarabæos: Iſtorum enim, li brorum ſcilicet ab aduerſarijs religionis noſtræ cõſcriptorum nocumentum tali interuallo diſſidet, ſi eos compares cũ ma= li illius in nos dæmonis inſidijs.

Item charta 7. εἰ γὰρ καὶ τῶν πραγμάτων ἐκβεβηκότων, καὶ τοσού=
των μαρτυρούντων περὶ τέλει, τῶν τε ἐν ἐκείνοις πιστευσάντων τοῖς χρό
νοις, καὶ τῶν ἐξ ἐκείνου πανταχοῦ ταῦτα ᾀδόντων, οὐ παρ' ἡμῖν μόνον, ἀλλὰ καὶ παρὰ βαρβάροις, καὶ τοῖς ἐκείνων μᾶλλον ἐκτεθηριωμένοις, ὅμως εἰσί τινες μετὰ τοσαῦτα τεκμήρια καὶ τοῖς οἰκουμένοις ἅπασιν, ὡς εἰπεῖν, τὴν μαρτυρίαν, οἳ διαπιστοῦσιν τοῖς γεγενημένοις, καὶ πολλοὶ

οὕτως ἀβασανίστως καὶ ἀνεξετάστως, τίς ἂν παρὰ τὴν ἀρχὴν μήτε πράγ-
ματα θεασάμενος, μήτε μαρτυρίας ἀξιοπίστους τούτων ἔχων, ταύτην
ἂν τὴν πίστιν ἐδέξατο τῇ ψυχῇ. Et hunc quoq; locũ ſic deprauauit Oecolampadius. Itaq; quum res ita euenerunt, & tot tantiq; euentum teſtati ſunt non modo hi qui noſtris tẽporibus, ſed & omnes quotquot vbiq; ab illo tempore hæc celebrarũt, tam apud nos q̃ apud barbaros atque etiam apud eos qui barbaris ſunt immitiores. ſuntne aliqui qui poſt tanta argumẽta quiq; poſt totius orbis, vt ita dicam, teſtimoniũ his quæ facta ſunt parum credunt? Eſt'ne quis inquirẽdo tam negligens qui poſt priſcorum opera, poſt tam fidelia teſtimonia, fidẽ hanc in animа non teneat? Hæc ille. Mirum vero quomodo ſenſum, qui non admodum obſcurus eſſet, non intellexerit. Senſus porro is eſt. Si enim poſteaquã & res ipſæ contigerunt, & tam multi rerum earundem euentum verum fuiſſe ſunt teſtati, tum ij qui per ea tempora crediderunt, tum ij qui ex eo tẽpore vbiq; eadem hæc ita eſſe decãtant non apud nos modo, ſed & apud barbaros, & ſi qui barbaris ipſis ſint efferatiores, nonnullos tamen adhuc inuenias, qui poſt tot ac tanta ſigna, poſt vniuerſi, vt ſic dicam, orbis teſtimonium prorſus ijs omnibus quæ antea facta ſunt, nullam fidem habeant (vt taceam hic permultos eſſe, qui de re tota nihil quicquam inueſtigare, nihil indagare, nihil examinare laborant) quis obſecro initio neque rebus coràm perſpectis, neque recepto rerum earundem digno teſtimonio fidem ſuam Chriſto obſtrinxiſſet?

Charta eadem. πόθεν οὖν εἰπέ μοι πόθεν πρᾶγμα τοσοῦτον ὑποκρί-
νασθαι ἐτόλμησαν. ποίαις ἐπαρθέντες ἐλπίσιν. τίνι θαῤῥήσαντες, ἆρα
τῷ καλάμῳ καὶ τῷ ἀγκίστρῳ, ἢ τῇ σμίλῃ καὶ τῷ ξυπάνῳ. οὐκ ἀπελ-
θόντες ἀπάγξεσθε πρῶτον καὶ κατακρημνίσετε ἑαυτοὺς τοσαύτην ὀφλισκά-
νοντες ἄνοιαν. Locus hic ſine dubio obſcurus erat, indigebátque non Oecolampadio, ſed veluti Delio natatore interprete. ſed audiamus tamen, niſi graue eſt, Oecolampadij verſionem. ſic igitur ille. Vnde ergo, dic mihi, vnde auſi fuiſſent talem rem

cõfingere & simulare? qua spe elati? quo adiutore fidẽtes? num piscatorio calamo, & hamo? num cultro, & subula? Qui abeũt vt se suspendant, præcipitentve non tam insani sunt, vt qui ta les tantam rem aggrediuntur. Hactenus Oecolampadius di= uinauit potius quid diceret, q̃ nobis Chrysostomi sensum ape ruerit. Sed quòd locus & obscurus, quod dixi, erat, & præterea vna & altera tantum syllaba corruptus, à nobis tamen vocatis prius in consilium doctis restitutus, erratum id illi condona= mus? Eius porrò loci non alius sensus esse potest q̃ hic. de apo stolis loquitur Chrysostomus. Vnde ergo, obsecro, vnde rem tantam simulare auderent? quanam spe sublati? quo præsidio freti? num calamo, atq; hamo? an cultro, ac terebra? Homines insani in malam crucem iam hinc non discedetis, aut vobis præcipitium aliquod parabitis?

Charta 8. διὰ τί δὲ μηδεὶς τῶν κατ᾽ ἐκείνων τῶν χρόνων χειροτέχνης ἀ= νὴρ εἶπέν τι περὶ ἑαυτοῦ τοιοῦτόν ποτε, ἢ ἕτερός τις περὶ αὐτοῦ, καί τοι εἰ τὰ ἡμέτερα πλάσματα ἦν, τοὺς μετ᾽ ἐκείνους εὐκολώτερον τὰ τοιαῦ= τα ψεύδεσθαι εἰκὸς ἦν. ἐκεῖνοι μὲν γὰρ οὐκ εἶχον εἰς ἑτέρους ἀνενεγκόντες ὑπὲρ τούτων ἐλπίσαι τοῦ πλάσματος περιέσεσθαι, οἱ δὲ μετ᾽ ἐκείνους εἰς ἐκείνους ὁρῶντες, προχειρότερον ἂν τοῦ πλάσματος κατετόλμησαν, τοῦ παραδείγματος τῶν προτέρων τοῖς δευτέροις παρακελευομένοι θαῤ= ῥεῖν, ὡς οὐδενὸς ἐν τῇ γῇ νοῦν ἔχοντος, ἀλλὰ πάντων ἐξεστηκότων καὶ μεμηνότων, καὶ τοῖς βουλομένοις ἐξὸν ἅπασιν, ἅπερ ἂν θέλωσι περὶ ἑαυ τῶν λέγειντε καὶ πιστεύεσθαι. λῆρος ταῦτα καὶ γέλως. μωρίας ἑλληνι= κῆς ῥήματα. Et hũc quoq; locum belle admodum nobis expla= nauit Oecolampadius per hæc verba. Et quare nullus artificũ qui ea tempestate fuerunt simile quiddam dixit vel ipse de se, vel alij de illo? iam si hæc nostra essent conficta, probabile est talia facilius cõmenturos eos qui apostolos sequuti sunt. Apo stoli enim & priores si in posteros respexissent quid esset futu rum cognoscere non potuissent, id quod posteriores possunt, audacius fingẽdo dum ad superiores spectant, & exemplar su periorum cui tuto fidunt posteriorũ aptant ætati. Atqui nul=

lus est qui mentem habet, sed stupidiorum & insanientium & quod nemo non posset si vellet de seipso quæcunq; vult dicere & docere. sed nugæ sunt, ac ridicula gentilis stultitiæ verba. Et hic quoq; codex græcus nonnihil corruptus erat, sed non ita tamen, vt Oecolampadius tam altum somnum dormire debuerit, qui quidem horum omnium verborũ nullum prorsus intellectum capit. Sic autem locum totum vertere potes. sed prius admonitum te velim loco illorum verborũ κατ᾽ ἐκείνων τῶν χρόνων verisimiliter ex ijs quæ subsequũtur legendum esse μετ᾽ ἐκεῖνων τὸν χρόνον. sic ergo locum hunc verte. Quamobrem autem nullus plane ab illo tempore artifex tale quiddam vel ipse de se vel alius de illo prædicauit? quanquã si quæ à nostris facta sunt, ea figmẽta fuissent, verisimile quidem est minore negocio talia mendacia fuisse conficturos qui illos sunt subsecuti. Illi enim quũ quod facerẽt id ad alios qui tale olim fecissent referre non haberent, certe non poterant sperare futurum, vt figmentum sibi suum succederet. qui vero illis posteriores fuere, ad illos spectantes figmentũ idem promptius sane, ac facilius aggredi ausi fuissent: præsertim quũ haberent priorum exemplum audaciam, ac fiduciam posterioribus addens. Perinde quasi nullus vsquã sit, qui mẽtem habeat, quin potius omnes obstupescant & insaniant: atq; adeo vnicuiq; volenti liceat quæcunq; ipse velit de se prædicare, alijsq; persuadere. Nugę sunt hæc, risus, ac non nisi gentilis stultitiæ verba. Charta 9. δόξαν δὴ καταθέσθαι τὸν πόλεμον καὶ τὸν ἀπράγμονα βίον ζῆν. Totus certe Chrysostomi Babylas nullum locũ hoc vno planiorẽ, clarioremve habet, & tamen Oecolampadius noster tanq̃ in medijs tenebris hic cæcutit. Chrysostomus hic vnum sentit. Itaq; quum constitutum illis esset bello prorsus deposito quietam, ac minime solicitam vitã viuere. At Oecolampadius dormitans gloriam (inquit) fore omisso bello ociosam dein vitam agere, nimirum existimans δόξαν hic gloriam significare: quum hic δόξαν non nomen, sed participium sit. δό=

ξαν porro dictum ἀντὶ τοῦ δόξαντος. quod ſignificat quũ viſum fuiſſet. proinde vel ex hoc vno loco belle nobis Oecolãpadius ſuam vertendis græcis tum diligentiam, tum eruditionẽ probauit. qui ne ea quidem capit quæ pueris ac tonſoribus nota ſunt. Ne viuam, niſi me hominis temeritatis maximopere pudeat, qui ſic illotis manibus ad Chryſoſtomi ſacra contingẽda proſilierit. ſed ad reliqua.

Charta 10. καὶ ὁ μὲν παῖς ἔκειτο νεκρὸς δεξάμενος τὴν πληγήν, ὁ δὲ σφαγεὺς ἐπηγωνίζετο τῷ μιάσματι, τοῖς δευτέροις τὰ πρότερα ἀποκρύψαι φιλονεικῶν. Et puer, ſentit Chryſoſtomus, plaga accepta, exanimis iacebat. at percuſſor ſcelere hoc admiſſo noui etiã certaminis rationẽ inibat. poſteriori facinore prius illud obſcurare, ac ſuperare laborãs. Hunc locũ ſic vertit Oecolampadius. Et puer quidem accepto vulnere iacebat exanimis. homicida autẽ poſt hoc facinus priora poſterioribus malis obtegere anhelabat. quo loco nõ intellexit ille ſignificantiã vimq; verbi huius ἐπηγώνιζετο, quum eum nobis non reddiderit. Habet autem id verbum hic adiectum miram & gratiam & vim, ſi quis illud recte ponderarit. ſed grammatiſtam in præſentia non ago.

Charta 11. ἐγὼ δὲ εἴτινες ἔλαβον τοῦτον τὸν λογισμόν, ἐπαινῶ μὲν αὐτοὺς καὶ θαυμάζω τῆς πυρώσεως, λείπειν δὲ αὐτῇ οὐ μικρὸν τῷ θαύματι τοῦτο ἐν τοῖς ἐπαίνοις φημὶ Hũc locũ ſic nobis obſcurauit idem interpres. Cæterũ ego tametſi laudem eos qui hanc ſentẽtiam ferunt, & eorũ mirer ardorem, aſſeuerauerim tamen eorũ laudibus & miraculo hac ratione nõnihil defuturũ. Ad ænigma iſtud ſoluẽdum Oedipo coniectore opus eſt. Verba porro græca vnum id ſignificãt. Ego vero ſi quibus huiuſmodi cogitatio in animũ deſcenderit, laudo quidem illos, & admiror excandeſcentiæ iſtius cauſa. Veruntamen huic meæ de illis tum laudationi, tum admirationi nõnihil certe adhuc deeſſe dico.

Charta eadem. οὗτος τοίνυν τότε τοῦ χριστοῦ τὴν ἐκκλησίαν τὴν ἐνθάδε, ὑπὸ τῆς τοῦ πνεύματος χάριτος ἐγχειρισθείς, τὴν ἤλανι ἐπὶ τὴν τούτου

ζηλωτὴν τὸν ἰωάννην παρήλασε μὲν οὐκ ἂν εἴποιμι, μὴ καὶ λίαν φορτικὸν τὸ λεγόμενον ᾖ, ἔφθασε δὲ οὕτως ὡς μηδὲ τὸ τυχὸν ἀπολειφθῆναι τῆς ελευθερίας τῶν γενναίων ἐκείνων ἀνδρῶν. Hoc eſt. Is igitur Babylas quum ſpiritus ſancti gratia Chriſti eccleſiam hãc adminiſtraret, Eliam, atq; huius æmulum Ioannem nõ dico præterijt, ne inuidioſo admodũ verbo vtar, ſed vſqueadeo eſt aſſecutus, vt ne tantillum quidem illorum generoſorũ pectorum libertati cõceſſerit. Et hunc tamen locum ſic nobis Oecolampadius inuoluit. Is ſpiritus ſancti gratia eccleſiam Chriſti quæ hic eſt regẽdam ſuſceperat, virtuteq; zeli, Heliæ, & imitatori eius Ioanni ne verbum aliquod maius dicã. Tam prope ad illos acceſſit, vt nulla ei fortium virorum libertas defuerit.

Charta 13. οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τῇ παρρησίᾳ μόνον αὐτὸν θαυμάζειν χρὴ, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῷ μέχρι τοσούτου τὴν παρρησίαν ἐκτεῖναι, καὶ ἐπὶ τῷ πάλιν μηδὲν προσθεῖναι πλέον αὐτῇ. Horum verborum ſenſus hic eſt. Neq; enim nobis Babylas ob orationis modo libertatem admirabilis eſſe debet, verum ob id quoq; quod eam libertatem ad hoc vſq; loci perduxerit: ſimul ob id quod eã vlterius non promouerit. Audi modo Oecolampadium. Neque enim ob dicendi libertatem admirabilis tantum, ſed & ob id quod in tãtæ virtutis virum euaſit, & quod nõ plus q̃ par erat egit.

Charta 14. διὰ τοῦτο καὶ τομὴν οὔτε ἐπιπόλαιον ἔδωκεν, ὥστε μὴ πλέον τοῦ νενοσηκότος ἐναπομεῖναι μέρος, οὔτε βαθυτέραν τοῦ δέοντος, ὥστε μὴ τῷ περιττῷ τῆς πληγῆς λυμήνασθαι τὴν ὑγείαν πάλιν, ἀλλὰ συμμετρήσας τῷ νοσήματι τὴν πληγὴν, οὕτως τὴν ἀρίστην ἰατρείαν εἰργάσατο. Hunc locum ſic Oecolampadius reddidit. Itaq; non ſuperficie tenus ſecabat, ſed ita vt nulla ægroti portio intus maneret intacta, & vt ne profundius q̃ poſtulabat neceſſitas ſecaret: vt ne ictu vehementiore & ſanitas offenderetur, ſed iuxta rationem morbi moderabatur ictus, agens nimirum medicum cõſummatiſſimum. Nobis placuit vt ſic locus hic latine redderetur. Eapropter ſectionem ipſam neq; per ſumma tantum inflxit, vt ne maior membri affecti pars incurata relinqueretur, neq;

altiorem quàm deceret, vt ne ſuperuacanea plaga quod ſanũ erat offenderet, ſed plaga prius ad morbum attemperata medicinam quamoptimam adhibuit.

Charta 15. ὁ μὲν γὰρ ἀπελαυνόμενος τότε εἷς μόνος ἦν, οἱ δὲ δι᾽ ἐκείνου κερδαίνοντες πολλοί. Hic plane delirat Oecolampadius, quum dicat. Nam licet vnus fuerit qui regem abegit, plurimis tamen id profuit. Vertendum autem fuerat. Siquidem vnus tantum is fuit quem à templo expulit Babylas: at multi extitere qui lucrum inde reportarũt. qui ſenſus ex diametro pugnat cum Oecolampadij ſenſu.

Char. 16. καὶ γὰρ ἔτι καὶ νῦν εἰσὶν ἄνθρωποι φθόροι καὶ μυρίων γέμοντες κακῶν, τοῦ φιλοσόφου πολλῷ μείζονα ἐπιδεικνύμενοι, οἱ μὲν γὰρ ἥλους ὀξεῖς καὶ ἠκονημένους ἔφαγον, οἱ δὲ ὑποδήματα διεμασήσαντο καὶ κατέπιον, οἱ δὲ πρὸς ἕτερα πολλῷ τούτων παρεβουλεύσαντο μοχθηρότερα. Et hodie, inquit Oecolampadius, ſunt homines peruerſi qui maiora philoſophis iſtis operantur, quorum alij clauos acutos comedunt, alij coria liquefaciunt & ebibunt, alij alia multo nequiora facientes oculos hominum præſtringunt. Nonnulla hic more ſuo nobis immutauit Oecolampadius. Hoc autem ſentit Chryſoſtomus. Etenim exiſtunt etiam hodie perditi quidẽ homines, nullis non flagitijs pleni, qui multo maiora iactitãt, quàm philoſophus ille. Alij enim acutos clauos comedunt, alij calceos mandunt & deglutiunt: alij ad alia his longe flagitioſiora male conſulti ſe conferunt.

Charta 18. ἀλλὰ καὶ ἐσωφρόνησεν ὁ συνωπεὺς ἐκεῖνος, καὶ ἐν ἐγκρατείᾳ διήγαγεν, καὶ τὴν κατὰ νόμον οὐκ ἀνεχόμενος γάμων, ἀλλὰ πῶς καὶ τίνι τρόπῳ προσίθει. ἀλλ᾽ οὐ προσθήσεις, ἀλλ᾽ ἥδιον τὴν τῆς σωφροσύνης ἐγκωμίων ἀποστερήσεις αὐτὸν, ἢ τὸν τρόπον τῆς σωφροσύνης ἐρεῖς, οὕτως αἰσχρὸς καὶ πολλῆς γέμων αἰσχύνης. Huius orationis hic verus eſt ſenſus. At temperans, inquis, fuit, continentemq; vitam egit Sinopẽſis ille: vt qui vel legitimas nuptias minime ſuſtinuerit. ſed adde, obſecro, temperantiæ ac continentiæ illius modum. Tu vero nequaquam addes: quin libentius temperãtiæ laudes

illi detraxeris, quàm tẽperãtiæ eius modum prodideris: adeo certe ille infamis ac magno dedecore plenus vixit. Hunc locum vel apertiſſimum mirum eſt quomodo Oecolampadius ignorauerit: quem nobis ille ſic deprauauit. Sed ſobrius vixit Sinopenſis ille, & continenter vixit. Verum adde qualiter & quomodo. Non adijcis? ſuauiq́ꝫ ipſum continentiæ laude priuas. Sat ſcio nequaquam continentiæ modum enarrabis: adeo turpis & confuſione plenus eſt.

Eadem charta. δέδειξαι ὅτι ὁ βασιλεὺς καὶ ὁ πάντων ἔσχατος παρὰ χριστιανοῖς, ὀνόματα μόνον ἐστὶν καὶ τῶν ἐλαχίστων ὁ τὸ διάδημα ἔχων οὐδὲν ἔσαι σεμνότηρος, ὅτ' ἂν κολάζεσθαι καὶ τιμᾶσθαι δέῃ. Et hic quoque hallucinatur Oecolampadius. oſtendit enim, inquit, apud Chriſtianos regem & diadema ferentem loco eſſe omnium poſtremo, tantúmque nomen habere, alijsq́ꝫ nihilo digniorem vbi vel punire, vel honorare cõuenit. Id autem Chryſoſtomus innuit. planum faciens ipſum etiam regem, eumq́ꝫ qui infimus apud Chriſtianos fuerit, nuda tantummodo eſſe nomina, ac dum vel pœna irroganda, vel honos tribuendus fuerit, quiſquis etiam diadema geſtet, hunc vel infimis quibuſque æquandum.

Charta 19. καὶ κατάπερ φιλονεικῶν ὁμοῦ καὶ νικῆσαι τοῖς δευτέροις τὰ πρότερα καὶ τὰ τῶν φθασάντων πάθη, μὴ ἀμαυρῶσαι τῇ τῶν ὑστέρων ὑπερβολῇ, τοιαύτη γὰρ ἡ τοῦ διαβόλου μανία, τὰ ἐναντία κατασκευάζειν ἅμα, οὕτως ἀμφοτέραις ταῖς σφαγαῖς ἔχειν τι κατάλληλον ἐξαίρετον ἔδοκεν. Turpiſſime lapſus eſt hic Oecolampadius. totum enim hũc locũ ignorauit, nimirum altiorem, q̃ ipſius intellectus captus ferre poſſet. huius porro loci ſenſus hic eſt. Et quaſi ſimul ſtuderet poſterioribus ſcelerib⁹ priora vincere, nec tamen præcedentium indignitatem ſubſequentiũ excellentia obſcurare (ea eſt enim diaboli inſania, contraria etiam inter ſe conſtabilire) ſic vtrique homicidio eximium id largitus eſt, vt mutuam quandam inter ſe congruẽtiam haberent. ſic autem locũ hunc deformauit idem Oecolampadius. Perinde ac con

tendens posterioribus sceleribus priora vincere & manifesta facere. Is est diaboli furor, vt diuersa simul apparet. Habebat autem vtraque cædes singulare quiddam.

Charta 20. ἐπειδὴ γὰρ τὸν νέον ἐκεῖνον ἀπώλεσεν ἀπὸ τοῦ φόνου πρὸς τὴν ὕβριν τὴν εἰς τὸν νεὼν ὥρμησεν, καὶ πάλιν ἐκ ταύτης ὁδῷ προβαίνων, εἰς τὴν κατὰ τῆς ἱερωσύνης ἀπόνοιαν ἐπαπεδύσατο. Hunc nobis locum sic mutilum reddit idem interpres. Primũ enim puerum perdidit, deinde à puericidio impius & contumeliosus in templum irrupit: vnde & ad contemptum sacerdotij properauit. Sed tu sic eundem locum integre reddito. Vbi enim iuuenem illum extinxit, euestigio ab illius cæde ad inferendã templo iniuriam irruit. rursus ab hac iniuria tãquam iter cœptũ semel continuans ad contumaciam, temeritatémq; suam sacerdotio contumelia afficiendo insuper se accinxit.

Charta 21. τίς ἀσθενεῖ καὶ οὐκ ἀσθενῶ, τίς σκανδαλίζεται καὶ οὐκ ἐγὼ πυροῦμαι, ἀλλὰ τοῦτο μὲν τὴν ἰσότητα παρίστησιν ἡμῖν, καίτοι γε μόλις ἂν πατέρες ταύτην ἀφῆσαν τὴν φωνήν. Hoc est. Quis infirmatur, & ego nõ infirmor? quis offendiculum patitur, & ego nõ vror? sed hoc quidem æqualitatem nobis repræsentat. quãquã certe vix patres in hanc ipsam vocẽ erumpant. Quum verba græca per se essent clarissima, demiror cur Oecolãpadius nouum hic nobis intellectũ attulerit. Quis infirmatur, inquit, & ego nõ infirmor? quis scandalizatur & ego nõ vror? Ita nostra cõmendari solet benignitas & indulgentia, par aliorũ patrum clementiæ, quamuis patres alij hanc vocem vix edant.

Charta 23. τὸ δὲ σῶμα τὸ πὸρς τὴν ἀριστείαν διακονησάμενον ἡ γῆ. Ex hoc loco quem nobis Oecolampadius supra infráque totum deprauauit, pauca hæc verba decerpsimus. in quibus mire hallucinatus est. Chrysostomi verba id vnum sonãt. Babylæ corpus (quo ipso tanquã administro ad virtutis opera præstanda, dum vixit, vsus est) post eius mortem terra habuit. At Oecolampadius hunc nobis sensum affert. Babylæ corpus tellus seruat, vt nobis ad bona opera sit monumentum.

Charta 24. καὶ ἄπου τις ἐπέστη θήκῃ τοιαύτῃ, καὶ τῆς ἐνεργείας εὐθέως ταύτης σαφῆ λαμβάνει τὴν αἴσθησιν. ἡ γὰρ ὄψις τῆς λάρνακος εἰς τὴν ψυχὴν ἐμπίπτουσα, καταπλήττει αὐτὴν καὶ διανίστησιν, καὶ ὡς αὐτοῦ κειμένου συνευχομένου, καὶ παρεστῶτος καὶ ὁρωμένου, οὕτως αὐτὴν διακεῖσθαι ποιεῖ. Doctissimi quidam Theologi, ijdemq; integerrimi, qui in Oecolampadij scriptis Christianā subinde pietatem desiderant, quum eis Oecolampadianā loci huius translationem indicassem, quod ego interpretis somnolentiæ tribuebā, id eiusdem potius malitiæ tribuendum esse constanter asseuerarunt, vtpote quem volunt non eam sanctorum reliquijs venerationem tribuere, quā pij omnes tribuendam censent. Itaq; lector animaduerte diligēter locum hunc. Chrysostomi orationi hic omnino sensus inest, vt etiam eam ad verbū vertas. Ac sicubi quis sanctorū monumētis adstat, suum statim sensum aperte ab hac, quam dico, vi correptum animaduertit. capsulæ enim aspectus in animam inuadens, ipsam percellit, & exuscitat, ac perinde afficit, quasi qui illic mortuus iacet, preces simul fundat, ac præsens adesse cernatur. quum tamen sic nobis locum eūdem verterit Oecolampadius. Nam quisquis illorum loculis adsistit, mox vim quā operātur manifeste percipit. Tūbæ enim aspectus mox atq; mente conceptus fuerit eam ita concutit, excitat, & afficit quasi astaret, & videretur coràm ille qui in ea reconditus iacet. Hic Oecolampadius de precibus quas vna nobiscum sanctos fundere Chrysostomus vult, nihil meminit: vt interim illud omittam eum, & hic, & passim tumulum appellare, quod Græci λάρνακα appellant. significat autē id verbum nō tumulum sed arcam, capsam, scriniū. sed mihi certe minutiarum istarum tractatio stomachum facit.

Charta eadē διὰ ταῦτα ἡμῖν τὰ λείψανα τῶν ἁγίων ἀφῆκεν ὁ θεός. Locum hunc non reddidit Oecolampadius, quod ego illum oscitantia magis q̄ ignorantia fecisse arbitror, quanquam illi ijdem quos supra nominaui loci huius omissionem hominis malitiæ imputant. Horum porrò verborū vera hæc esse pos=

ſit interpretatio. quibus de cauſis ipſas nobis ſanctorum reli=
quias deus reliquit.
Charta eadem. ἐπειδὴ γὰρ ἐτάφη καθὼς ἐπέσκηψεν, καὶ χρόνος παρῆλθε μακρὸς μετὰ τὴν ταφὴν, ὡς ὀστᾶ λίπεσθαι μόνον καὶ κόνιν ἐν τῇ σορῷ, ἔδοξέ τινι τῶν μετὰ ταῦτα βασιλευσάντων, εἰς τὸ προάστειον τοῦτο τὴν δάφνην ἀπενεχθῆναι τὴν λάρνακα. ἔδοξε δὲ τοῦ θεοῦ πρὸς τοῦτο κινήσαντος τὴν τοῦ βασιλέως ψυχήν. Et hunc item locum miſere defor mauit interpres Oecolampadius. Nam quum (inquit) mul= tum tranſiſſet temporis poſt humationem eius, iuxta teſta= mentum eius, quo cauit vt in tumulo eius non relinqueren= tur, niſi oſſa & compedes, viſum eſt cuidam ex regibus qui poſtea regnauit, vt tumba eius in ſuburbium cui Daphne no men, duceretur: viſum autem hoc regi eſt deo animum eius ad id mouente. Hic non excutiam lepores phraſeos mere at= ticæ, præſertim in eo pronomine eius hoc vno loco quinquies repetendo non obſeruata interim reciprocationis lege, neque enim id nunc ago, vt Oecolampadij phraſim in ius vocẽ, tan tũ admonebo ſenſum Chryſoſtomi longiſſime diſtare ab Oe= colampadij interpretatione. Quis enim hoc ipſum teſtamen to vnquam cauit, vt in tumulo ſuo non debeant relinqui niſi oſſa & cõpedes? Chryſoſtomi porrò hæc germana eſt lectio. Vbi enim Babylas ita vt mandauit ſepultus fuit, & tam longũ temporis interuallum ab eius ſepultura interceſſit, vt non ni= ſi oſſa, ac cinis in tumulo ſuperarent, placuit imperatori vni ex ijs qui poſtea imperarunt, deo ipſius animum ad id impel lente, capſulam in ſuburbium iſtud Daphnen abduci.
Hoc eodem loco. ὡς γὰρ εἶδεν τὸ χωρίον ὑπὸ τῆς τῶν νέων ἀσελ= γείας τυραννούμενον, καὶ κινδυνεῦον ἄβατον εἶναι τοῖς σεμνοτέροις καὶ ἐπιεικῶς βουλομένοις βιοῦν, ἐλεήσας αὐτὸ τῆς ἐπιρείας, ἔπεμψεν τὸν ἀμυνοῦντα τὴν ὕβριν. Hoc eſt, niſi prorſus in græcis nihil ſenti= mus. Quum enim deus vidiſſet locum illum adoleſcentum intemperantia, quadam quaſi tyrannide obſeſſum in pericu= lum venire, ne prorſus ab ijs deſtitueretur, qui grauiores eſ=

ſent, quiqꝫ in honeſtate ac modeſtia vitam degere in animo
haberent, loci incommodum, ad noxam miſeratus, miſit qui
contumeliam vindicaret. Tu contrà audi Oecolampadij ſom
nium. Nam quia deus vidit adoleſcentum intemperantia vio
lari locũ iſtum, qui idoneus erat, vt in eo honeſtiores & tran=
quille viuentes habitarent, miſertus ſuper hac miſeria, miſit
in hoc regem hunc vt indignitatem iſtam vindicaret.
Charta 25. βουλόμενος τοῦτο ἐπιδοθῆναι τὸ κακὸν ὁ διάβολος, τόντε μῦ
θον ἔπλασεν, καὶ τὸν δαίμονα κατῴκισεν, ὡς καὶ ἀσελγείας καὶ ἀσεβείας
ὑπέκκαυμα γίνεσθαι μεῖζον τὴν ἱστορίαν ταύτην αὐτοῖς. Hæc verba
ſic vertenda erãt: Volens diabolus malum hoc magis ac ma=
gis gliſcere, fabulam eam quam recitaui, cõfinxit, dæmonem
loci eius incolam eſſe diuulgãs: quò eiuſcemodi hiſtoria ma=
ius illis impudicitiæ atqꝫ impietatis incendium fieret. quæ ta
men ſic peruertit Oecolampadius. Quod malũ diabolus fir=
mius radicatum volens fabulam hãc finxit, dæmonemqꝫ ac=
colam finxit: atque ita maior ibi impietas, & luxuria erat, q̃
prodere decet hiſtoriam.
Ibidem. διατάξει μὲν οὖν καὶ αὐθεντίᾳ βασιλικῇ τὴν εἰς τὸ προάστει=
ον ἐγκόπτειν ὁδὸν τοῖς τὴν οἰκουμένην οἰκοῦσιν ἐδόκει τυραννίδος ἔρ=
γον εἶναι μᾶλλον καὶ ὠμότητος καὶ ἀγροικίας πολλῆς. εἰ δὲ προσέθηκεν
ὅτι οἱ μὲν ἐπιεικέστεροι καὶ μετριώτεροι ἀναβαινέτωσαν, οἱ δὲ ἀσελγεῖς καὶ
ἀκόλαστοι κωλυέσθωσαν, ἄπορον ἦν τὸ ἐπίταγμα, καὶ δίκας ἐχρῆν καθ'
ἑκάστην γένεσθαι τὴν ἡμέραν, τῆς ἑκάστου κρινομένης ζωῆς. Senſus hic
eſt, Enimuero ſi id iter quod ab vrbe ad ſuburbium ferret au=
thoritatis regiæ mandato impediret, atque intercideret, iu=
dicauit mandatum id omnibus vulgo viſum iri tyrannicum
quoddam, agreſte, ac crudele factum. Quod ſi mandato ad=
deret, vt qui honeſti, ac moderati eſſent, ijs ſuburbij adeun=
di poteſtas fieret, qui vero incontinentes, atque intemperan=
tes, ab eo arcerentur, mandatum perplexum, ac difficile cen=
ſuit, vtpote per quod præuidebat quotidianas cenſuras in di=
iudicanda vniuſcuiuſqꝫ vita neceſſarias. At vero ſic Oecolam=

padius. Vt mãdato authoritateq́ꝫ regis in ſuburbium via ſterneretur. quæ res habitatoribus orbis, opus videbatur tyrannicum, crudele & ferox. At quòd cauebatur, vt moderatiores ac manſuetiores illuc aſcenderent, indomiti autem & intemperati abſcederent, difficile mandatũ erat. fiebant enim quotidianæ cenſuræ in dijudicanda vniuſcuiuſq́ꝫ vita.

Charta 28. τοῦ βασιλέως τελευτήσαντος τοῦ τὸν μάρτυρα ἀναγαγόντος, τὸν ἀδελφὸν τὸν ἐκείνου παρήγαγεν εἰς μέσον διαδεξόμενον τὴν ἀρχὴν, ὁ καὶ ἐκείνῳ πρότερον δοὺς τὴν τιμὴν, καὶ δέχεται χωρὶς τοῦ διαδήματος τὴν βασιλείαν οὗτος. τοσοῦτον γὰρ καὶ τῆς τἀδελφοῦ τοῦ τετελευτηκότος ἐξουσίας οὐ μεῖζον ἦν. His verbis clariſſimis has tenebras offudit Oecolampadius. Poſtquã mortuus eſt rex qui martyrem tranſtulerat qui & fratrem huius, vt principatus particeps eſſet, aſciuerat: atque etiam huic dignitatem contulerat, fratre mortuo: quamuis ipſe iam regnum nondum oblato diademate inuaſerat. Senſus porro hic eſſe debet. Mortuo eo imperatore qui Babylæ corpus in ſuburbium tranſtulerat huius fratrẽ ad imperij adminiſtrationem promouit is idem, qui illum imperatorem fecerat. atque hic ſine diademate imperium excipit: hactenus enim demortui quoq́ꝫ fratris poteſtas præſcripta fuerat.

Charta 29. καὶ ὁ μὲν ἵππος ὁ βασιλικὸς καὶ οἱ δορυφόροι πάντες. græcis ἡ ἵππος fœmininum equitatum ſignificat. At hoc loci eſt ὁ ἵππος maſculinum, quæ vox equum ſignificat, nõ equitatũ, vt putat Oecolampadius, qui ſic locũ hunc vertit. Regius autem equitatus & lancearij longo interuallo ſequebãtur. Tu ſic verte, Et regius quidẽ equus, omnéſq́ꝫ prætoriani ponè multo interuallo ſequebantur.

Charta 30. ἐπέκειτο σφοδρῶς τὸν δαίμονα χρησμὸν ἀπαιτῶν καὶ ἀξιῶν ἀναιρεῖν περὶ τῶν κατὰ γνώμην αὐτῷ. Hic Oecolampadij iudicium trãſuerſum egit ἀναιρεῖν, verbũ nõ intellectũ. quod græcis modo interimere, modo reſpõdere ſignificat. certe ex hoc loco belle ille nobis ſeſe oſtẽdit in græcis authorib⁹ diu verſa-

tum. Proinde audiamus quid hic deblateret. Inſtabat (inquit) plurimũ apud dæmonem pro oraculo paratus immolare etiã quantacunque illi grata. Hæc ille. Quum verba ea græca quæ præpoſuimꝰ latinis nihil aliud ſignificare poſſint, quàm quod ſequitur. Magna cum inſtantia imperator à dæmone oraculũ poſcit, poſtulans, ſibi vt ille ijs de rebus reſponſum daret, quas animo verſabat.

Charta 32. διὰ τί γὰρ εἰπέ μοι, κατὰ τὸν ἔμπροσθεν χρόνον οὐδέποτέ τι τοιοῦτον εἶπεν, οὐ δ᾽ ἐφθέξατο, ὅτι τότε μὲν εἶχεν τὸ μὴ θεραπεύεσθαι πρόφασιν, ταύτης δ᾽ αὐτῷ τῆς ἀπολογίας περιαιρεθείσης κατέφυγεν ἐπὶ τοὺς νεκροὺς, στενοχωρηθεὶς τί πάθοι. οὐ γὰρ ἐβούλετο ἀσχημονεῖν.

Hoc eſt. Quamobrem enim, quæro ex te, ſuperiori tempore nuq̃ tale quiddam dæmon elocutus eſt? quandoquidem tum velamen hoc prætendere poterat, ſui cultũ ab hominibus intermiſſum eſſe. hac autem idem excuſatione ſibi adempta ad cadauera cõfugit, anxius animi quorſum euaderet. nam à decoro ipſe ſuo recedere nolebat. Audi modo Oecolampadium. Et idcirco hac excuſatione vſus dæmon ad mortuos cõfugit, anxius ne quid pateretur. non enim infamari volebat.

Charta 34. καὶ ζῶντος μὲν οὐκ ἤνεγκε τὴν παῤῥησίαν ὁ ἀνδροφόνος.

Græca omnia non adiecimus breuitatis cauſa. Tu ſi ea requiris, refuge ad exemplar quod quidem vænale eſt. Proinde totũ hunc locum ſic dilacerat Oecolampadius. Et viuentis liberam reprehenſionem homicida non tulit, mortui vero puluerem neque rex neq; dæmon: qui regem vt id faceret incitauit. terribilior enim quàm prius inſtabat: quod inde manifeſtũ, quia captum ligauit & confecit, ipſe autem tantum tranſlatus eſt. Cur autem nõ iuſſit dæmon vt vel abſoberetur à terra tumulus? cur non contriuit, & cõbuſſit? cur non in locum ſolitariũ, & inhabitabilem tranſtulit? nam ſi martyris corpus tam abominabile, & execrandum erat, non erat in ciuitatẽ ducendum ſed in montes & colles auehendum. Hæc ille. Tu vero ſic locũ interpretator. Ac viuentis quidem liberam orationẽ non tu-

lit homicida. Cæterum & tu quoque reliquam noſtram inter-
pretationem ſuo loco quære.
Charta eadem. ἀλλ᾽ ᾔδει καὶ αὐτὸς τοῦ ἀπόλλωνος οὐχ ἧττον ὁ δεί-
λαιος τοῦ μακαρίου τὴν ἰσχὺν, καὶ τὴν παῤῥησίαν τὴν πρὸς τὸν θεόν.
Hæc verba ſic exponit Oecolampadius. Verũ ſciebat impro-
bus ille fortitudinem & poteſtatem beati apud deum nõ mi-
norem quàm Apollinis. Locus hic plane erroneus eſt. neqꝫ id
ſentit Chryſoſtomus quod Oecolampadius ſomniat. Hoc au-
tem ait Chryſoſtomus. Imperatori huic perdito æque atque
Apollini Babylæ virtus & libera apud deũ oratio cognita erat.
Conſcientiam hic tuam lector, ac iudiciũ appello, ecquid de-
inceps Oecolampadio fidere debeas, qui ſic nobis authorum
ſenſa adulterat, deprauat, falſificat. Idqꝫ ijs potiſſimũ in locis
quæ ad Chriſtianam pietatẽ maximopere pertinẽt, quo ma-
gis certe, ab illius interpretamẽtis cauere, atqꝫ abſtinere debes.
Charta eadem. καὶ ὅτι οὐκ ἀπ᾽ ἐμαυτοῦ ταῦτα λέγω νῦν, ἐκ τῶν με-
τὰ ταῦτα ὑπ᾽ αὐτοῦ γενομένων ἔσαι δῆλον ἡμῖν. τέως δὲ τῆς ἀκολουθίας
τῶν γεγενημένων ἐχώμεθα, τί δὴ τὸ ἐντεῦθεν ἦν. Hoc loco ineptit
Oecolampadius, qui ſic ait. Colliqueſcet autẽ ex ijs, quæ poſt-
ea dicã, hæc à me non eſſe conficta. nunc quid ſubſecutum ſit
habebimus. Nos hũc locum ſic reddidimus. Me porrò hęc nõ
ex me enũtiare ex ijs conſtabit, quæ ab illo poſtea ædita ſunt.
Interim hiſtoriæ noſtræ ordinem perſequamur, quid exinde
euenerit recenſcentes.
Charta 37. νῦν δὲ ἥλιε, ὦ γῆ, τίς ἢ πόθεν ὁ πολέμιος οὗτος, ὃς οὐδὲ
ὁπλιτῶν οὐδὲ ἱππέων οὔτε ψιλῶν δεηθεὶς μικρῷ σπινθῆρι πάντα ἀνά-
λωσεν. Verba hæc vnà cum pleriſqꝫ alijs, quæ ſubijciemus, de-
ſumpta ſunt ex Libanij ſophiſtę monodia, cuius particulas o-
peri ſuo, quod eæ ad rẽ facerent, Chryſoſtomus inſerit. Enim-
uero ad ſophiſtæ huius ſtilum vt terſum atque elegantem, ita
bona ex parte figuratũ ac poeticum Oecolampadij noſtri in-
tellectus aſpirare haudquaquam potuit. cuius rei præmonitũ
te hic volui lector, vt mirari deſinas, ſi domeſtica Oecolampa

dij noſtri lăpas orationis genus hoc totũ nobis obſcurauerit, potius q̃ illuſtrauerit. Sophiſtæ porro verba ſic propemodum reddenda fuerint. Nũc autẽ ô Sol, ô Terra, quiſnam, vel vnde hoſtis ille? qui citra omne auxilium equitũ, citra omne præſidium & grauis, & leuis armaturæ militum tenui ſcintilla omnia abſumpſit. Audiamus nunc Oecolampadium. Nunc autem ô Sol & Terra quis vel vnde hoſtis ille, qui neq; armatis, neq; equis, neq; re aliqua, quamuis tenui indigens parua ſcintilla conſumpſit omnia? Hæc Oecolampadius. ſed hæ certe roſæ ſunt, præ ſpinis ijs, quas nobis mox Oecolampadij facundia aduehet.

Charta eadem. εἶτα διψώντων μὲν σοι τῶν βωμῶν αἵματος, ἔμενες ἀπόλλων φρουρὸς ἀκριβὴς τῆς δάφνης, καὶ ῥαθυμούμενος. Et hoc quoq; loco poteris lector græca tibi deſumere è ſuo exemplari. Quẽ ipſum locum ſic nobis totum corrũpit Oecolampadius: ſumptus eſt autem ab illa eadẽ Libanij monodia. Præterea quum aræ tuę ſanguinem ſitirent diligens & quietus tutor eras Daphnes, ô Apollo, addo autem quod paſſus es te cœno ſordidari, & ornatu externo priuari. Nũc autem poſt multas oues & boues, & poſtquam pedem tuum venerabile os regit oſculo contigit, ac vidit quæ præuidiſti, quum iam viderere ab exaſperata mala vicinia liberatus defuncto quodã vicinio obturbante, in medio cultu aufugiſti? vnde igitur poſthac multum nobis ſtudij in viros qui ſacra & imagines prædicãt? Hæc ille. Meminiſſe te velim lector pie poſtremorum orationis huius Oecolampadianæ verborum. quorum ſententiam ne Libanij quidem, qui Chriſtianorum partes ſequutus nõ eſt, verba exprimunt. Audi igitur eiuſdem ſophiſtæ queſtum, qui talis quidem eſt. Ad hæc quum aræ tuæ ſanguinem ſitirẽt. Tu vero & hic quoque reliqua tibi deſume è noſtra tranſlatione charta huius operis 37.

Charta 39. ὡς καὶ καταποθείσης τῆς ἐρωμένης ἔτι προσεδρεύειν τῷ τόπῳ καὶ τῷ φυτῷ. Hoc eſt vt abſorpta amica, loco atq; arbori

etiam nunc incubet. ſic enim intelligendus eſt hic locus: non quidẽ vt interpretatur Oecolampadius, qui hæc verba ſic reddit. Vtpote qui adhuc ad locum & arborẽ deſiderate olim dilectę aſſideat. nam καταποθείσης participium formatur à verbo anomalo καταπίνω quod ſignificat abſorbeo. non autem à καταποθέω deſydero, cuius participium maſculinũ καταποθηθεὶς, fœmininum καταποθηθεῖσα, non autem καταποθεῖσα. quo magis puerilem hũc Oecolampadij lapſum admirari ſuccurrit, cogitanti præſertim illum multis iam ante annis græcam nobis grammaticam ædidiſſe.

Charta 40. Δὸς τόξα μοι καὶ χοίνικα φησὶν ἡ τραγῳδία. Libanij verba hæc ſic latine reddi poterant. Da mihi arcum & fidiculas Tragœdia inquit. Ego autẽ dico & vaticinij nonnihil vt tum capiam, tum excuſſis arcu ſagittis impetam ſceleris huius authorem. quem locum ſic nobis reddidit interpres Oecolamp. Da mihi tela & Chœnicem dicit Tragœdia. Dicã & ego breue aliquid ex vaticinatoria, vt eum qui hoc egit non ſolum capiam, ſed & iaculis configam. Hic Oecolampadius verbum id græcum Chœnix non reddidit, lectori ſomniãdum relinquẽs quid latinis ſignificare poſſit: qua in parte hominis fidem magnopere veneror: doctrinam, diligentiámve non item. Qui ſi idipſum toto opere præſtitiſſet, hoc eſt ſi Chryſoſtomi Babylam ſuis tantum verbis quãquam latinis characteribus exſcribendum curauiſſet, ac græcis tantum hominibus intelligendum reliquiſſet, hunc certe operæpretium longe præſtantius facturum fuiſſe crediderim, q̃ fecerit eodem Babyla à ſe tam negligenter (ne quid acerbum dicam) verſo. multis enim nominibus non merebatur tam artificioſus, tamq́ elegans liber hic Chryſoſtomi, hoc eſt authoris aurea eloquentia ſine controuerſia præditi incidere in manus interpretis non aurea, argenteáve dixerim, ſed vix plumbea eloquentia ornati. Proinde χοίνιξ hoc loco pedicæ genus ſignificat, hoc eſt lignum craſſum, in quod crura ſeu pedes mittũtur. quo verbo vſus eſt ali=

quoties Demosthenes, & Aristophanes in Pluto, latini fidiculas appellant, vt videre licet apud Vallam.

Paulopost ὦ δεξιᾶς τελχῖνος ô dextrã Telechinis, inquit Oecolampadius. Quo etiam loco lectori latine tantum, non etiam græce docto diuinãdum reliquit, quid ea vox significare posset. proinde telchinas græci appellant malignos, inuidos, incantatores.

Paulopost. ἥφαιστος δὲ πυρὸς ταμίας, οὐκ ἠπείλησεν τῷ πυρὶ λυμαινομένῳ τὴν χάριν ὀφείλων τῷ θεῷ μηνύματος ἀρχαίου. Reliqua in suo exemplari tibi requirenda breuitatis causa relinquo. Quę verba sic nobis reddidit Oecolampadius. Vulcanus ignis præfectus populante igne non reddidit deo gratiam, quamuis debitor esset deo, ob indicium olim factum. Neq; Iupiter imbrium moderator aquam in ignem misit, sicut olim Lydorum regi periclitanti flammam restinxit. Quidnam primo ad eum dixit qui belli prælio destitit? vndenam confidentia? quomodo sustinuit impetum? quomodo nõ soluit decretum, reueritus dei pulchritudinẽ? Quorũ verborũ si saniorem intellectũ cupis, require quod vertimus charta operis huius 40.

Charta 41. εἰ μὲν γὰρ αὐτοὺς μείζονα καὶ τὴν τέχνην καὶ τὴν ἐμπειρίαν τοῦ δαίμονος ἔχειν φῄς, οὐκ ἐχρῆν αὐτὸν τιμᾶν ἀμαθέστερόν τε ὄντα καὶ ἀσθενέστερον, ἐν οἷς αὐτὸν φατὲ πάντων κρατεῖν. Hoc loco risum mihi mouet interpretis somniũ, qui sic nobis verba hæc reddit. Dicis enim maiora eum habere tam arte q̃ experientia cæteris dæmonibus. Indigne nunc colitis indoctiorem & infirmiorem in quibus ipsum dicitis omnibus superiorem. Chrysostomus nunquã hoc somniauit. locus per se clarus erat. cuius hic sensus est. Si enim maiorem tibi tum artem, tum experientiam vindicas, q̃ dæmon ipse habeat, certe haudquaquã oportebat illum abs te coli, indoctiorem & imbecilliorem ijs in artibus, in quibus illum cæteris antecellere affirmatis.

Paulopost. οὔτε γὰρ εἶχέ τι μαντικῆς, οὔτε κἂν εἶχον ἤνυσεν ἄν. Et hic quoque lapsus est Oecolamp. Nesciuit (inquit) vaticinari

Apollo: neq; si sciuisset, potuisset. Tu hunc locum sic redde. Neque enim Apollo diuinatoriæ artis quicquam habuit: neque si habuisset, ei illa quicquam profuisset.

Charta 42. ἄνδρες ἕλκομαι τὴν ψυχὴν πρὸς τὸ εἶδος τοῦ θεοῦ. Longa hæc est oratio, quam nos ne longiores simus, hic nõ attexemus. Tu eam tibi sume ex gręco exemplari. Proinde Libanij verba sunt omnia hæc, quæ ipsa etiamsi eiusdem rhetoris aliud nihil extaret, tamen satis superq; arguunt illum non singulari tantum ingenio, sed mira quadam facũdia excelluisse. quo magis admirandus, amplexandúsque hoc loco nobis est interpres Oecolampadius, quẽ nulli scilicet labori pepercisse video, vt nobis exprimẽda Libanij rhetoris elegãtissimi phrasi mirificam quãdam romani sermonis proprietatem pari lepore conditam repræsentaret. cui loquenti quis non dixerit illa Homerici senis mella profluxisse: & quæ hic scripsit hybleas apes floribus cõpleuisse? Sed enim ex hac tota oratione quãquam infinita sunt ea loca, quæ Oecolampadio nota minime fuere, tamen tria hic tantum, quæ præcipua quidem sunt, adnotabo, & quidem adiectis græcis, vt tãquam oculata fide id probem quod testor. τὸ δὲ ὅλον σχῆμα, τίνος οὐκ ἂν ζέοντα ἐκοίμησε θυμόν: ἐῴκει γὰρ ᾄδοντι μέλος, καί που τὶς καὶ ἤκουσεν, ὥσφασιν, ἐν μεσημβρίᾳ κιθαρίζοντος. ὦτα εὐδαίμονα. Hæc verba magno admodum lepore sic reddit Oecolampadius. Totúsque habitus cuius furorem feruentem non sopiuit & demulsit? similis est cantori cantilena. Et vbi? quis? vt dicũt. In meridie cithara ludentem, beatæ aures audierunt. Hæc ille. Locus hic vnus est ex ijs, quorum tẽpora nobis Oecolampadius peruertit, ignoratione vis, ac naturæ particulæ huius græcæ ἂν. Nos locum superiorem sic recte interpretãdum duximus. Breuiter totus dei Apollinis habitus, cuius iram feruentem non sedauisset? vt qui similis esset cantilenã occinenti. Et hercule audiuit hũc olim aliquis, vt aiũt, in meridie cithara ludentẽ. aures beatas.

Ibidem. ὄμμα δὲ ἄρχοντος ἄρτι γευόμενον ὕπνον, πικρῷ ῥήματι τῆς εὐ=

νῆς ἐξανέστησεν, ὁ δὲ ἐμμανὴς ἤλαυνεν. πτερὰ γὰρ ἑρμοῦ ζητῶν, αὐτὸς μὲν ἐπὶ ζήτησιν ᾔει τῆς τοῦ κακοῦ ῥίζης φλεγόμενος ἔνδον οὐχ ἧττον ἢ ὁ νεώς. Hunc item locum ſic adulterat Oecolampadius. Excitantur amaro nuncio regis oculi cõmodum ſomno ſopiti. qui concitatus, ac feſtinus citra interpretem rogat, & ipſe intus æſtuans non minus, quàm templum ad exquirendam radicem tanti mali proficiſcitur. Hæc ille. Locus hic manifeſte arguit merã interpretis ſupinitatem. Tu audi, quid Libanius ſenſerit. Imperator quũ eius oculus vix ſomnũ capere incœpiſſet, amaro illo nuncio audito, è lecto exurrexit. Ipſe furore percitus, Mercurij talaria perueſtigans ad mali iſtius originem indagandam pergebat, æque intra ſe flagrans, ac templum ipſum. Veniamus modo ad tertium eum locũ explicandum, à cuius intellectu Oecolampadius tota ianua aberrauit.

ὁ δὲ ὅμιλλος ἐν ᾗ προσήκεστεν ὀλοφυρόμενοι, βοηθεῖν δ' ἀποροῦντες, ὃ καταλαμβάνει τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς ναυαγίαν ὁρῶντας, ὧν ἡ βοήθεια δακρῦσαι ἒ γινόμενον. Hæc verba ſic deprauans inuoluit Oecolampadius. Turba autem circunſtans, neſciens ſubſidium, & luctu occupata videbat in portu naufragiũ. Lachrymabantur quorum erat iuuare. Hæc ille. ὦ φίλαι μοῦσαι. Hoccine eſt græce ſcire? hoccine eſt græcos authores latinos facere? Quis iam non dixerit hoc ipſum euertere potius eſſe, q̃ vertere? quis nõ fateatur ſomniare, ac delirare id eſſe potius, quàm interpretari atq; exponere? Nónne merebatur Chryſoſtomi liber hic vel ob cultam atq; elegãtem hanc Libanij monodiam ab Oecolampadio tam male habitam, tam miſere tractatam, tam crudeliter laceratã, ab alio deintegro verti? Hic, hic iterũ cõſcientiam tuam, ac iudicium appello lector cãdide. Totus equidem animo diſcrutior, ita mihi Minerua ingeniorũ præſes faueat, quum in mentem venit hominum quorũdam, quos prorſus nihil pudet id audere, ac profiteri, cui præſtãdo pares nequaq̃ eſſe poſſint. Sed quid facias? nulla nõ ætas ſimiles perſonas, ſeu laruas potius in politioris, elegãtioriſq; ſtudij theatrũ produ-

xit. Si sutor non nisi de crepida iudicaret, si fabri fabrilia tantũ tractarent, si medici quod medicorũ est solum promitterent: deniq; si quam quisque artem nouit, in hac se duntaxat exerceret, felicius multo cum studijs ageretur. Qui totam ętatem in id cõsumpsere, vt & græce, & latine scirent, ac quibus labor is feliciter successit, ij adhuc vix pares sese sentiunt suscipiẽdis ijs prouincijs, ad quas nulla frõte, nullo pudore aduolant, qui vix prima rudimenta in eis, quas dixi, linguis posuere. Sed ad rem. Superior locus magna scilicet felicitate ab Oecolãpadio versus, in hũc, qui sequitur, modum propemodum vertẽdus fuerat, neq; enim aliud significare potest. Vulgus autẽ circũstans lugebat, auxilium tamen ferre minimo valens. Id quod vsu venire solet ijs, qui de terra naufragium spectãt, quorum hoc vnũ superest auxilium, casum ipsum lachrymis prosequi.

Charta 43. ἀλλὰ μηδὲ τὰς νύμφας αὐτὰς ἀρκέσαι πρὸς τὴν πυράν. Hic dormitauit interpres, qui sic locum hũc exponit. Et neq; ipsę nymphæ ad conflagrationem se à lachrymis continent. quum Chrysostomus sentiat ne ipsas quidem nymphas suffecisse ad pyram, hoc est extinguendo incendio pares fuisse.

Charta 44. πολέμου γὰρ συγκροτηθέντος ἐν τῇ παλαιστίνῃ ποτὲ τοῖς ἰουδαίοις πρὸς ἀλλοφύλους τινάς, νικήσαντες οἱ πολέμιοι. Iudæis, inquit Oecolamp. & Palæstinis olim præliãtibus victoria potiti hostes. Hoc nõ dicit Chrysostomus, sed illud potius. Pręlio olim in Palæstina à Iudæis aduersus alienigenas quosdam cõmisso victoria potiti hostes.

Charta 46. καὶ καλέσας ἰουδαίων τινὰς καὶ θύειν κελεύσας, καὶ γὰρ τοὺς προγόνους τοὺς ἐκείνων τοῦτον τῆς θρησκείας θρησκεύειν τὸν τρόπον ἔλεγεν, ἐπειδὴ εἰς ταύτην ἐκεῖνοι κατέφυγον τὴν ἀναχώρησιν, ὡς οὐ θέμις αὐτοῖς τοῦ ναοῦ πεπτωκότος ἔξω τῆς παλαιᾶς μητροπόλεως τοῦτο ποιεῖν. Hoc loco. s. rem acu tetigit Oecolampadius: sic enim locum hunc vertit. de Iuliano imperatore loquitur author. Vocatis enim Iudæis quibusdã præcepit eis, vt sacra facerent. Qui dicebant sacrificandi quidẽ morem quendam fuisse pro=

genitoribus suis: sed postquam in tãtum exilium pulsi & destructum templum, non esse eis fas templa & sacrificia extra veterem metropolin reparare. Licet igitur iubet. Hęc ille. Tu locum hunc sic reddito, Vocatis igitur ad se Iudæis (nam & illorum maiores dicebat hunc religionis ritum odseruare solitos) vbi Iudęi ijdem eò confugerent, vt dicerent. s. fas sibi nequaquam esse id templo collapso extra veterem metropolin facere, iubet. & quæ sequuntur.

Charta 47. καὶ τὸ κυριακὸν δὲ ὄνομα τέως σβεσθῆναι τόγε εἰς αὐτὸν ἧκον ἐσπούδασεν. Ridiculus ac puerilis hic lapsus. Iulianus (inquit Chrysostomus) Christianum nomen tunc vt extingueretur pro viribus elaborat. etenim modus hic loquẽdi τόγε εἰς αὐτὸν ἧκον authori peculiaris nihil aliud est, q̃ id quod dicimus quoad fieri potest, pro virili, pro viribus. At Oecolampadius hic dormitãs maxime (inquit) abolere studebat Iulianus nomen Christi, quod in ipsum retulerant. dignum certe ferula erratũ.

Charta eadem. βουλόμενος δὲ αὐτὸν ὁ θεὸς ἀνακρούσασθαι. Hoc est, Volẽs deus Iulianum inhibere. verbum id ignorauit Oecolãpadius, quum illud nobis per humiliare barbarũ verbum reddiderit. certe græcis id ἀνακρούομαι significat quod latinis inhibeo. verbum classicis prælijs accõmodum. & quod inhibere remos latini dicũt, id illi πρύμναν κρούεσθαι. qui in historicis græcis versatus est, præsertim in Thucydide, id verbi identidem legere potuit. sed Oecolãpadio, nisi fallor, hactenus per ocium non datum est, vt ad lectitãda Thucydidis scripta diuerteret. eapropter vocis huius ignorationem in eo facile hic patior.

Charta 48. καὶ ἦν ἰδεῖν πάσης αἰχμαλωσίας ἐλεεινότερον θέαμα. Et hic item reliqua græca tibi desume ab exemplari suo. Postremus hic Oecolampadij lapsus est, eorum quidem certe quos in elenchum hunc reponere statuimus. Proinde Oecolampadius Chrysostomum hoc loco sic obscurat ac deprauat, vt iuste capere non possis, quid ille senserit. sic autem ait. Atq; nũc est videre spectaculũ qualibet captiuitate miserabilius. Nam

à ciuibus nostris, à quibus gratiam expectabant, omnia hostilia passi sunt, qui & eos in litore velut obicem constituerunt, vbi in ipsos omnia pericula recidunt. Tu vero locum hunc sic intelligito. Hic videre erat spectaculū qualibet captiuitate miserabilius. nam vrbis illius ciues, à quibus gratiam aliquam expectabant, quòd suos omnes intus muri instar in portu collocarant, pro omnibus semper ad omnia pericula obiecti, ab ijs hostilia omnia passi sunt.

Habes lector candide eximiū Oecolampadianę vertendis græcis authoribus artis specimen, atq; experientiæ exemplū. vertit & ille nobis Chrysostomi in Genesim homilias lxvj. vnà cū multis alijs eiusdem authoris opusculis, quæ Psegmata appellauit. In quib9 si se perinde, atq; in Babyla gessit, vt gessisse verisimile est (neq; enim vnius, eiusdēq; opificis fuerit, idem opificiū vno, eodemq; fere tēpore dissimili forma ædere) nimirum præclare cū eo agitur, qui scripta eadē nuda, hoc est citra græci codicis auxiliū tractare cōtentus est. Cū Oecolampadio nihil mihi antea fuit negocij, nulla mihi cum eo de re aliqua lis, nulla controuersia nata est: qui enim nasci potuisset cū eo homine, qui à me nunquā visus, me nunquā offenderit? neq; ego quā certe prouinciā suscepi, eam hominis vel traducendi, vel lacessendi causa suscepi. absit modo eiusmodi à me animus, qui antea semper abfuit, abfuturusq; est, dum viuā. Palladis artes, quas sequor, oliua semper præeunte, ad pacis ac cōcordiæ studia me totum informarūt. Chrysostomum, ingenue fateor, ante omnes veneror. Chrysostomi aurea eloquentia mihi nihil certe antiquius, nihil preciosius esse possit. Huius scripta pro votorum meorum, ad literarum quidem studia pertinētium, summa, optarim, eādem apud nos gratiam consequi olim posse (quo authore id fiat non admodum laboro) quam iam apud græcos consecuta esse video. Hæc mea voluntas coniuncta cum hortatu Erasmi Roterodami amici quidem veteris, eiusdémque de vtriusque linguæ studijs in

primis bene meriti: ac cuius certe voces, ac monita tāti apud me esse semper volui, quāti esse debēt præceptoris apud discipulum pręcepta: hæc inquā mea volūtas me cōmouit, vt & de sacerdotio dialogos, & Babylæ opus hoc, vtrūq3 certe à suis interpretibus pessime omniū habitum, restituerē. Vires meas in præsentia nō ostento. eruditionē (quā vel nullam, vel admodū tenuē in me agnosco) hic nihil iactito: sed tamē lector optime (faueāt modo pij Chrysostomi manes labori per nos suscipiēdo, vt omnino suæ illos causę fauere par est) breui tempore, & reliqua itē authoris eiusdem ab Oecolāpadio versa opera, per me ea diligētia, vt ne quid maius dicā, restituta, qua Babylam modo restitutū tibi offerimus, expectato. Nisi si forte Oecolā padius mihi anteuertēs, versiones suas retractandas, ac reformandas, Chrysostomi facūdia, ac dignitate si minus expressa, at intellectu tamē fideliter vbiq3 reddito, curauerit. quāquidē vel lucubrationē, vel gloriā tātū abest, vt mihi ab Oecolāpadio interuersam ægre sim laturus, vt ipse etiā illum, seu, vt verius dicā, illius amicos, asseclas, fautores omnes (nā Oecolāpadiū vnum prouinciæ huiusmodi parē esse, ne aurea quidem Chrysostomi eloquentia mihi persuaserit) verbis hic meis, ac precibus ad muneris eius functionem adductos, exoratósq3 esse velim. Magnā quidem certe illi à me, & item à studiosis, nisi fallor, permultis gratiam inierint, si perfecerint, vt quos sudores Chrysostomi causa, excutiendis Oecolampadij præsertim scriptis, exprimere mihi ipse cōstitui, eos permultis alijs eiusdem authoris operibus ab inauguratis nescio quibus interpretibus eodem illo artificio textis, quo Babylam ab Oecolampadio textum videmus, per me retexendis, ac restituēdis exprimam. Tu lector interim bene vale, ac meis modo vigilijs causa tua suscipiendis faue.

τέλος.

¶Sequuntur errata typographorum indiligentia in hoc opere admiſſa.

In epiſtola liminari loco ventitarem, lege ventitare.
Item charta prima, operis exordium ſic lege, dominus noſter Ieſus Chriſtus ad crucis.
Charta 6. exoluiſſet, lege exoleuiſſet.
Charta 7. pag. 2. nónne calamo, num calamo.
Charta 9. pag. 2. ſubire, ſubiere.
Charta 17. diglutiunt, deglutiunt.
Charta 20. pag. 2. maleficiorum, maleficorum.
Charta 21. pag. 2. infirmior, infirmor.
Charta 34. pag. 2. licentioſis, licentioſius.
Charta 44. pag. 2. bello olim, prælio olim.
Ibidem ac ruina, hac ruina.
Præterea in elencho erratorum Oecolampadij in quaternione B. j. ſic lege græcum. ἢ καὶ κατακρημνίσετε ἑαυτοὺς. nam loco huius vocis ἑαυτοὺς nõnullæ chartæ habent excuſam hãc vocem ἑαυτὴν. Neq; hoc ſolum loco ſed & in alijs pluribus in græcis à typographis peccatum eſt. Sed tu veram lectionem de græco codice petito.

GERMANVS BRIXIVS IACOBO TVsano & Petro Danesio suis S. D.

SCitis moris mei esse nihil inuulgare laborum meorũ, quod non prius castis amicorum (inter quos vobis vel præcipuum locum vindicatis) oculis, ac iudicijs subiecerim: quem morem hoc ego diligentius, sanctiusq; seruare volo in Chrysostomi Babyla à me verso, eodemq; propediem ædẽdo, quod prospicio fore, vt labor is noster varijs lectorum studijs, sententijs, calumnijs in primis obnoxium se præbeat. Nam quòd Oecolampadius vir magni in Germania nominis idem opus è græca in latinam linguã vertere ante me attentauit, dubium mihi non est, quin interpretationem nostram Oecolampadij fautores omnes, quotquot vsquã esse possunt, pro sua in illum indulgentia, ac fauore, summa certe cupiditate perlecturi, ac pari diligentia dicam, an seueritate? examinaturi sint. Intelligitis autem vterq;, me etiam tacente, q̃ ego illos erga me clementes, q̃ faciles, q̃ misericordes experturus sim, si quid me forte deliquisse, hoc præsertim ĩ opere, in quo tanquam cornicum oculos (quod aiunt) cõfigere attentarim, animaduerterint: hoc est siue ego græca Chrysostomi sensa minus recte intellexero, siue ea recte à me intellecta minus tamen romane reddidero: cuius vtriusq; criminis ipsum Oecolampadium reum à me insigniter peractum facile ijs constabit, qui bona fide, neutri parti plus fauentes, q̃ veritati ipsi, studium, iudiciumq; suum traducere volẽt ad vtriusq; nostrûm versionem cum græco exemplari cõferendam. huiusmodi autem animo præditos lectores mihi tantũ esse optarim. Itaq; etiam atq; etiam à vobis (qui κανὼρ scriptorum meorum esse soletis) peto, & contendo, vt pro vestra erga me fide, pro meo item erga vos amore (nihil ego maius dicere possum) aliquid succisiui temporis studijs vestris subtrahatis, quod meis impertiatis, libellumq; meum quanta maxima poteritis diligẽ-

tia, excutiatis: neq; solum eius vniuersitati attendatis, verum etiam particulas omneis, qua soletis lima, perscrutemini, ea etiam omnia adnotantes quæ vel commutanda, vel eximenda iudicaueritis. Nam ego ita demum credã cætera vobis placuisse, si quædam displicuisse cognouero. credite mihi nulla melius re nobis istud vestrum erga nos studium probare potestis, q̃ si perfeceritis, vt liber ab omnibus mendis assertus de manibus vestris ad nostras redeat, quod munus vt studiosius amplectamini, reputare vos oportet criticos eos, in quorum manus liber peruenerit (de nostratibus præsertim hic loquor) prorsus iudicaturos, vt ita habeat, vel non habeat res, illũ non aliter exijsse, q̃ vestra prius lima tersum, ac perpolitũ: quum vos ambos nemini iam notũ esse noluerim non modo mihi amicos, ac familiares, sed & vigiliarum mearum omniũ, tum græcarũ, tum latinarũ censores, ac tanquã formatores esse. Sic igitur librũ vestro isto limatulo, ac polito iudicio emẽdabitis, vt ne æditus vobis magis indiligentiam, q̃ mihi ignorantiam exprobrare possit. Prorsus autem erratis meis veniam à criticis denegari patiar, si scriptis meis, antequã exeant, exactam doctrinæ, ac iudicij vestri limam haudquaquam denegaueritis. æque enim inculpata ea esse iudico quæ vos cura adhibita emendatis, atq; ea quę non minus eleganter, q̃ ingeniose scribitis. Neq; vero me pudet, vt certe nunquam puduit Ciceronis, Plinij, cæterorúmque antiquorum exemplo, doctissimos quosq; in lucubrationum mearũ consilium aduocare. Cogito enim, vt cum Plinio hic loquar, quàm sit magnum dare aliquid in manus hominum, nec persuadere mihi possum non & cum multis, & sæpe tractandum, quod placere & semper, & omnibus cupias. Quod ipsum si imitarẽtur qui sic æditiones suas nobis præcipitant, de illis certe non tam ignominiose ἡ μετάνοια, quæ Homero stultorum prudentia est, re quidem non iam integra triumpharet. Bene valete.

KONSERVIERT DURCH
ÖSTERREICHISCHE FLORENZHILFE
WIEN